

nu soa

no wuu

ured ge

an snu

AB
1550/19

W

oo



Einsteilen / weil die Ex
Lustig sein


Fa 662 mir anged. R.

W. J. A. H.

1771



M. TVLLII
CICERONIS
CONSOLATIO.



*Liber, quo seipsum de Filiae morte
consolatus est.*

Nunc primùm repertus, & in
lucem editus.



ANNO DOMINI

CIO. IO. XXCV.

M. TULLII

CICERO

CONSOLATIONIS

liber, quo scribitur de morte
consolationis

Invenitur in scriptis
hanc editionem



CICERO

CLARISSIMO
VIRO IAC. FAIO
SPESÆO IN SVPRE-
ma Curia Patrono Regio ac sacri
Consistorij Senatori.



LIBELLVM M. Tullij de
Consolatione recens in
Italia typis excusum, à
principe Legationis Ve-
netæ Reipub. viro ma-
gnifico missum ad orna-
tissimū Præsidentem LEONAEVM, tibi que,
Vir clarissime, dono ab eodem datum,
percurri avidissime, siue argumenti lau-
de, siue etiam Tulliana dignitate famâ-
que nominis excitatus. Qua ex lectio-
ne, certè insperata, quanquam incredi-
bili gaudio perfusum me continuo senti-
rem (vt est inquieta res, lætitia, cuius in-
terdum magnitudinem animus non ca-
piat, quod ille ait panegyristes Nazarius)
interea tamen apud me querebar, vbi le-
gendi primùm libelli potestas mihi facta
est, vnum modò id exemplar in Gallia
A 2 visum

visum haëtenus, vt non facile possim ar-
dentem meam sitim restringere. Itaque
nulla interposita mora quaësiui cuius es-
set: cùmque id tuum esse mihi consta-
ret, nec tamen auderem me vltro tibi
ἀσύνβολοι aut etiam ἀκαυσι obtrudere,
statim vel tacente ac penè restitante me,
se obtulit laudatissimus senator GILLO-
TIVS, vir bonarum artium, bonarùm-
que partium, qui eo libello ius vtendi
fruendi nobis, ex tua facilitate ac candore
permisit. Eum ita bonis conditioni-
bus commissum & concreditum, immò
lectum perlectùmque, ac denique cu-
rante me, mandatum prælo, ad te iam re-
mitto, V. C. ad quem iliustrandum no-
tis quibusdam meis me proximè com-
paro, si tamen priùs, quàm sit ille γνήσιος
(de quo dubitare nolim tam facile) ipse
pro ea qua vales ingenij ac iudicij dexte-
ritate pronunciaris. Nolim enim me te-
stem vnum, & quasi sponforem in ea re
asserenda profiteri: eo quòd in rebus
etiam ijs, quæ vero simillimæ apparent,
perpetnò mihi iusufurret Epicharmus,
μὲμνησο ἀπισῆν: adeòque vereor, ne vt in
rebus secundis, lætitia transuorsum nos
ducat

ducat à rectè consulendo atque intelli-
gendo, quod pro Rhodiensibus olim
Cato dixit. Si quid igitur ea de re statu-
eris cum eruditis hominibus, tuique im-
primis similibus, eam disputationem non
patiar amplius aut situ obrui, aut etiam
edaci illa & rerum omnium consumptri-
ce vetustate obliterari, meúmque ad eam
commentarium penè iam absolutum,
tuæ in me, rémque publicam literari-
am benevolentiaé testem publicari susti-
nebo. Vale Lutetia, Kalend. Quintilib.
cIo. Io. LXXXIII.

Tuus

CLAVDIUS MINOS.

A 3

SER-

SERVIVS SVLPITIVS

M. T. C. S. P. D.

POSTEAQVAM MIHI RENVN-
ciatum est de obitu Tulliae filiae tuae, sane
quam, pro eo ac debui, grauiter molesteq; tu-
li, communemque eam calamitatem existi-
maui: qui si istic affuissem, neq; tibi defuis-
sem, coramq; meum dolorem tibi declarassem.
Etsi genus hoc consolationis minimum atque
acerbum est, propter quod, per quos id fieri
debet, propinquos ac familiareis, ipsi pari mo-
lestia afficiuntur, neque sine lacrimis multis
id conari queunt, vt magis ipsi videantur a-
liorum consolatione indigere, quam alijs posse
suum officium prestare: tamen quae in praesentia
mibi in mentem venerunt, decreui bre-
ui ad te perscribere, non quod ea te fugere exi-
stimem, sed quod forsitan dolore impeditus
minus ea perspicias. Quid est, quod tanto-
pere te commoueat tuus dolor intestinus? co-
gita quemadmodum adhuc fortuna nobiscum
egerit, ea nobis crepta esse, quae hominibus,
non minus quam liberi, cara esse debent: pa-
triam, honestatem, dignitatem, honores om-
nes.

S
nes. Hoc uno incommodo addito, quid ad
dolorem adiungi potuit? aut quinam in illis
rebus exercitatus animus callere iam debet,
atque omnia minoris aestimare? An illius
vicem (credo) doles: quoties in eam cogi-
tationem necesse est, & tu veneris & nos saepe
incidamus, hisce temporibus non pessime cum
iis esse actum, quibus sine dolore licitum est
mortem cum vita commutare? Quid autem
fuit, quod illam hoc tempore ad viuendum
magnopere inuitare posset? quæ res? quæ
spes? quod animi solatium? Ut cum aliquo
adolescente primario coniuncta ætatem age-
ret? licitum est tibi (credo) pro tua dignita-
te ex hac iuuentute generum deligere, cuius
fidei liberos tuos te tuto committere putares?
An ut ea liberos ex sese pareret? quos cum
florenteis videret, letaretur: qui rem à pa-
rente traditam per se tenere possent: honores
ordinatim in Republica petituri essent? in
amicorum negocijs liberalitate sua uteren-
tur? quid horum fuit, quod non prius, quam
datum est, ademptum sit? At vero malum est
liberos amittere? Malum, nisi hoc peius sit,
hæc sufferre & perpeti: Quæ res mihi non

mediocrem consolationem attulit, volo tibi commemorare, si forte eadem res tibi dolorem minuere possit. Ex Asia rediens, cum ab Aegina Megaram versus nauigarem, caepi regiones circumcirca prospicere, post me erat Aegina, ante Megara, dextra Piraeus, sinistra Corinthus: quae oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata & diruta ante oculos iacent: caepi egomet mecum sic cogitare: Hem, nos homunculi indignamur, si quis nostrum interijt, aut occisus est, quorum vita breuior esse debet, cum uno loco tot oppidorum cadauera proiecta iacent? Visne tute Serui cohibere & meminisse hominem te esse natum? Crede mihi, cogitatione ea non mediocriter sum confirmatus: Hoc idem, si tibi videtur, fac ante oculos tibi proponas. Modò uno tempore tot viri clarissimi interierunt, de imperio praeterea tanta diminutio facta est, omnes prouinciae conquassatae sunt, in unius muliercule animula si iactura facta est, tantopere commoueris? quae si hoc tempore non suum diem obisset, paucis post annis tamen ei moriendum fuit, quoniam homo nata fuerat. Etiam tu ab his rebus animum ad cognitionem

nem

lio tuo uti possit. Deniq, quoniam in eam fortunam deuenimus, ut etiam huic rei nobis seruiendum sit: noli committere, ut quisquā te putet non tam filiam, quam Reipublicae tempora & aliorum victoriam lugere. Plura me ad te de hac re scribere pudet, ne videar prudentiae tuae diffidere. Quare si hoc unum proposuero, finem faciam scribendi. Vidimus aliquoties secundam pulcherrimè te ferre fortunam, magnamq, ex ea re te laudem adipisci: fac aliquando intelligamus, aduersam quoq, te aequè ferre posse, neq, id maius, quam debeat tibi onus videri: ne ex omnibus virtutibus haec una tibi videatur deesse. Quod ad me attinet, cum te tranquilliori animo esse cognouero, de ijs rebus, quae hic geruntur, quemadmodumq, se prouincia habeat, certiorrem faciam. Vale.

M. T. C. S. D. S E R V I O.

S. V L P I T I O.

E G O V E R O S E R V I V E L-
lem, ut scribis, in meo grauissimo casu affu-
isses. Quantum enim praesens me adiuuare
potue-

potueris, & consolando, & prope aequè dolendo,
facile ex eo intelligo, quod literis tuis lectis a-
liquantum acquieui. Nam & ea scripsisti, quæ
leuare luctum possent, & in me consolando,
non mediocrem ipse animi dolorem adhibui-
sti. Seruius tamen tuus omnibus officijs, quæ
illi tempori tribui potuerunt, declarauit, &
quanti ipse me faceret, & quam suum talem
erga me animum tibi gratum putaret fore:
cuius officia iucundiora scilicet saepe mihi fue-
runt, nunquam tamen gratiora. Me autem
non oratio tua solum, & societas uene aequitu-
dinis, sed etiam autoritas consolatur. Turpe
enim esse existimo, me non ita ferre casum
meum, ut tu tali sapientia præditus ferendum
putas. Sed opprimor interdum, & vix resisto
dolori, quod ea me solatia deficiunt, quæ cæ-
teris, quorum mihi exempla propono, simili
in fortuna non defuerunt. Nam & Q. Ma-
ximus, qui filium Consularem clarum vi-
rum, & magnis rebus gestis amisit: & L.
Paulus, qui duos septem diebus: & noster
Gallus, & Marcus Cato, qui summo ingenio,
summa virtute filium perdidit: ijs tempori-
bus fuerunt, ut eos, tum ipsorum dignitas con-
sola-

solaretur ea, quam ex Republica consequerentur. Mihi autem amissis ornamentis ijs, quæ ipse commemoras, quæq; eram maximis laboribus adeptus, unum manebat illud solatium, quod ereptum est. Nam amicorum negocijs, non Reipublicæ procuratore, impediuntur cogitationes meæ, nihil in foro agere licebat, aspicere curiam non poteram, existimabam id, quod erat, omnes me & industria mea fructus & fortunæ perdidisse. Sed cum cogitarem hæc mihi tecum & cum quibusdam esse communia, & cum frangerem iam ipse me, cogeremq; illa ferre toleranter: habebam quo confugerem, ubi conquiescerem, cuius in sermone & suavitate omnes curas doloresq; deponerem. Nunc autem hoc tam graui vulnere, etiam illa, quæ consenuisse videbantur, recrudescunt. Non enim, ut tum me à Republica mæstum domus excipiebat, quæ leuaret: sic nunc domo mærens ad Rempublica confugere possum, ut in eius bonis acquiescam. Itaque & domo absum, & foro, quod nec eum dolorem, quem à Republica capio, domus iam consolari potest, nec domesticum Respublica. Quo magis te expecto, teq; videre quamprimum cupio.

cupio. Maior mihi leuatio afferrī nulla potest, quam coniunctio consuetudinis, sermonumque nostrorum: quanquam sperabam tuum aduentum (sic enim audiebam) appropinquare. Ego autem cum multis de causis te exopto quamprimum videre, tum etiam ut ante commentemur inter nos, qua ratione nobis traducendum sit hoc tempus, quod est totum ad unius voluntatem accommodandum, & prudentis & liberalis, & (ut perspexisse mihi videor) nec à me alieni, & tibi amicissimi. Quod cum ita sit, magna tamen est deliberationis, quæ ratio sit ineunda nobis non agendi aliquid, sed illius concessu & beneficio quiescendi.

Vale.



CORN.



CORN. SEVERI
CARMEN IN OBITUM
M. T. CICERONIS, EX LIBRIS
DE BELLO CIVILI.

ORaque magnanimum spirantia pœnè virorum
In Rostris iacuere suis, sed enim abstulit omnes,
Tanquam sola foret, rapti CICERONIS imago.
Tunc redeunt animis ingentia Consulis acta,
Iuratæque manus, deprensæque fœdera noxæ;
Patritiumque nefas etiam tum, & pœna Cethègi:
Deiectusque redit votis Catilina nefandis.
Quid fauor, aut cœtus, pleni quid honoribus anni
Profuerunt, sacris & vita quid artibus acta?
Abstulit vna dies æui decus, ictaque luctu
Conticuit Latix tristis facundia linguæ,
Vnica sollicitis quondam tutela, salusque,
Egregium semper patriæ caput: ille senatus
Vindex, ille fori, legum, ritusque, togæque.
Publica vox sæuis æternum obmutuit armis.
Informes vultus, sparsamque cruore nefando
Caniciem, sacrasque manus, operumque ministras
Tantum, pedibus civis proiecta superbis
Proculcavit ouans: nec lubrica fata, deosque
Respexit. nullo luet hoc Antonius æuo.
Hæc nec in Emathio mitis victoria Perse,
Nec te, dire Syphax, non fecit in hoste Philippo.
Inque triumphato ludibria cuncta Iugurtha
Abfuerant: nostraque cadens ferus Hannibal ira,
Membra tamen stygias tulit inuiolata sub umbras.

DE M. T. CICERONE.

Quod maius lumē, Demosthenis, an Ciceronis?
Hic nullum, paucos ille pares habuit.

Hic

I
M
Hic decus, ille aurum præfert. hic fortis, at ille
Degener. eloquium hic donat, vt ille locat.
Profuit assiduè hic, nunquam ille obfuit: illi
In miseros studium, huic dicere pro miseris.
Immo cum Spartis Thebas, & congere Athenas:
Quod mentita sibi est Græcia, habet Cicero.

M. Antonius Casanoua
Mantuan.

DE EO DEM IUL.
CÆSAR SCALIGER.

A
Accipite ô Decij, ô patriæ spes vltima victæ
Hanc animam in cœtum magne Camille tuum.
Nanq; ego nunc vbi opem nequeo iã ferre: quod egi,
Non quod agent vestra huc libera in astra fero.
Obstiteram forti: imbelli dederam arma, feroci
Displicui: nostra est alter abusus ope.
Ille tyrannigenis potuit malesobrius armis
Tollere tam linguæ libera iura mex.
At tibi, qui licuit? cui nempe ego tela dedissem.
Quisnam in me verti non putet esse nefas?
Heu patriæ cineres, patriæ ô morientis imago:
Non poteram non, iam te moriente mori.



is?

hic

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

[Partial view of text from the adjacent page on the right.]



M. TVLLI CL

CERONIS CONSOLATIO.



VAMQVAM RE-
CENTIBVS MORBIS
medicinam adhibere vetant sa-
pientes, nihilq; aduersi homini-
bus accidere solet in vita, quod
aut improuisum, aut inexpecta-
tum videatur: conemur tamen,

si qua ratione possumus, mederi nobismetipsis, & dome-
stica subuenire calamitati. Si enim quoties vsuuenit,
consulimus ceteris, cur non aliquando nobisipsis? &, si
mala, quae nec vitari, nec auerti humanis viribus possunt,
pertulimus toleranter: cur non ea, si possumus, ratione
leuiora faciamus? praesertim cum ad aegritudines,
& molestias depellendas eo acrius incumbere homines
debeant, quo melius est, sine cura viuere, quam curis,
& angoribus oppressum, ac circumuentum, humanam
conditionem satis per se miseram, alijs etiam incommo-
dis efficere miserioem: quid porro praestantius, quid vti-
lius est, quam, cum corpore valeas, curare, vt etiam ani-
mo valere possis? si quidem corpus animi gubernaculo,
animus autem ministerio corporis indiget, at neq; ani-
mus ager bene gubernabit, nec affectum corpus animi
recte parebit Imperio. Quamobrem prudenter à doctis
& sapientibus viris & cogitatum, & factum est, qui de
luctu minuendo ante nos scripserunt: quorum extant
satis multa, sane sapienter litteris mandata, imprimisq;
A à Theo-

M. Tullij Ciceronis

à Theophrasto, Xenocrate & Crantore: quorū libros cum
sæpe animi caussa sumpserimus in manus, admirati eorum
saluberrimis præceptis refertam, & conditam eloquenti-
am, tum proximè legimus necessario: casus enim erepta
nobis filia, quam in oculis ferebamus, eximijs & virtutis,
& prudentiæ laudibus præstantem, ita nos vel perculit,
vel afflixit, ut ab ijs opem ad leniendum, & mitigandum
dolorem petere coacti simus, quorum maxime doctrina,
atq; auctoritate antea mouebamur. Itaq; multa, quæ ab
illis vel acutè cogitata, vel eleganter enuntiatæ sunt, ad
dolorem nostrum abstergendum colligemus: ut, si minus
ceteros in tanto mœrore delectare poterimus, quod aliàs
& dicendo, & scribendo efficere conati sumus, & fortasse
interdum præstitimus, saltem nobis ipsis medeamur. Sed
nos etiam in hoc fortiores erimus, quàm ceteri: quibus
difficile non fuit, cum doloris expertes ipsi essent, alios
consolari, & à mœrore abducere: nos autem dolore af-
flicti, consolationem à nobis petentes, nosmetipsos in do-
lore vincemus, ac nature quandam quasi vim asseremus:
quæ utinam tanti sit, ut ceteros quoq; in pari fortuna do-
ceat aduersos casus patienter ferre: qui quo sæpius con-
tingunt, eo propiores hominibus putandi sunt, quasiq; in
ipsa humana natura innati atq; insiti, ideoq; leuius se-
rendi, qui enim hominem se esse agnoscit, hominisq; no-
men sibi vindicat, cur ea, quæ hominis maxime propria
sunt, recusare, ac reicere audeat? quod simul ut fecisset,
& imprudens, & iniustus merito haberetur: atq; hic lo-
cus à Theophrasto egregiè tractatus, & perpolitus est:
itemq;

Consolatio.

Memq̄, à Xenocrate: quorum uterq̄, eos, qui communes
casus recusant, imprudentia, atq̄, iniustitia condemnat:
alter etiã Dÿs ipsis aduersos non dubitat appellare: quod
etiam grauius crimen est, ac vix in homine tolerabile:
qui: cum omnia Dÿs immortalibus accepta referre debe
at, quorum ope viuit, intelligit, agit: si eorum voluntatē
repugnet, cum Dÿs, gigantum more, bellare videbitur,
hæc autem peritè, vt dixi, à multis tractata sunt. Sed ego
Crantorem sequor: cuius legi breuem illum quidem, sed
verè aureum, & vt Panætio placuit, ad verbum ediscen
dum de luctu librum, quo acutè vniuersam doloris me
dicinam complexus est, sed humana natura incommoda
ta diligenter, & accuratè expressit, vt quasi tuendorum
scelerum causa nasci homines, & in hanc lucem ingre
di, possis agnoscere. Fac enim nasci hominem, & in lucem
edi: continuo senties, non rerum humanarum dominum,
& gubernatorè exortum, sed verius miseriarum seruum,
atq̄, incommodorum: nam infantiam & pueritiam va
gitus, lacrymæ, imbecillitas, nullus nec rationis, nec cor
poris vsus, dolores, molestiaq̄, quamplurima amplectun
tur. Adolescentiam ardor quidam excipit ætatis, nec
prudentiæ, nec iudicij compos: rerum vtilium, ac lauda
bilibium contemptio: voluptatis, & sæpe turpitudinis ap
petitio: veri boni ignoratio: in pares ferocia, in superio
res superbia, in infimos arrogantia: ex his contentiones,
rixa, contumeliæ, assiduus deniq̄, molestiarum concur
sus existit: ex rebus honestis contemptis infelicitas, &
infamia: ex turpibus curiosè arreptis, & conquistis lu

M. Tullij Ciceronis

Ætus, morbi, perpetuum æniq; sui ipsius odium, ex cognita rerum turpium mercede conflatum. Adde insanas pecuniarum largitiones, nullam futuri temporis curam, non inopiæ, non liberorum, non vxoris, non posterorum, non familie: quæ si quis ætatis potius vitia, quàm naturæ misérias, velit appellare: quamquam nominis quæstionē inducat, non tamen ipsas ab homine misérias, atq; incommoda remouebit. Nec verò audiendus erit, qui hæc ab humana natura miserijs separanda putet, quòd non in natura insita sint, sed vnius, vel aliquorum hominum errores videantur: totius autem naturæ illa esse affirmet, quæ à nullo prorsus homine seiungi possint: quasi verò humanum non sit irasci, quòd multi non irascantur, aut non humanum loqui, & societatem coire, quòd multè reperiantur, qui nihil difficilius faciant, quàm cum hominibus congredi, aut sermonem cum aliquo conferre: verè autem humana miserie sunt, quòd & si non omnes in vno, certè omnes in omnibus, & aliqua in multis, & multa sæpe in vno agnoscuntur. Iam, constantis ætatis quot quantaq; miserie sint, non difficile est intelligere, at difficillimum enumerare: hæc enim ex omnibus hominis ætatibus in perturbationes animi, in pericula capitis fame, fortunarum vna maximè incurrit: sicut enim ceterarum omnium ætatum, ad res negotiaq; tum priuata, tum publica peragenda aptissima est, maximeq; idonea: ita etiam vna, præ ceteris omnibus, difficultatum, miseriarumq; omnium, quæ ex publica, priuataq; administratione oriuntur, participes,

Consolatio.

ceps, & socia est: hac priuata amicorum negotia procu-
rat, hac publica sustinet munera: hac gloriam, & com-
modum ex rebus feliciter euenientibus, hac arumnas, &
molestias ex aduersis experitur: huic bonorum ciuium
propugnatio, huic malorum accusatio proposita est: huic
inuidia, & emulatio à bonis imminet, à malis pericula
& insidie intenduntur: et as nunquam sibi ipsi non infe-
sta, nunquam pacata: semper laboriosa, semper anxia,
& sollicita: quæ si non aliquos interdum vel utilitatis,
vel voluptatis fructus ex assiduo labore perciperet, se
ipsam profecto regere, ac tueri non posset. Sed miseria-
rum numerus multò maior est, magnitudo autem tan-
ta, vt neminem à publicis procurationibus non auertere,
ac deterrere possit: illustre præbuit exemplum vniuersæ
ciuitati calamitas nostra, quam ex parte Ciuium salu-
te, ex defensis aris, ac focis, ex proditoribus à Reipubli-
ca, ac Populi Romani ceruicibus depulsis contraximus.
Sed nostra fuerit arumna: ciuibus contigerit salus &
quies: quam etiam, vita ipsa profundenda, si opus fuif-
set, libentissimè redemissimus. Nihil necesse est mihi de
me ipso prædicare. Sed tamen verissimè affirmare pos-
sum, eos demum annos me verè vixisse, quos in præcla-
ro aliquo patriæ vel commodo, vel ornamento consump-
si: ac, si longius mihi vitam producere liceret, non mo-
alia causa ad diutius viuendum, quàm publicæ utilitatis
studium curaq; adduceret: quæ vna cogitatio in homine
gloriosa, & laudabilis est maximè. Nunc, quæ extrema
de ætatibus superest, quid ego de senectutis incommodis,

M. Tullij Ciceronis

ac miseris loquar? quas plurimas esse, & grauissimas,
& nomen ipsum, languoris calamitatisq; plenissimum,
indicat, & adspectus ipse senum hominum patefacit:
quid est enim aliud, senem videre tementem, incur-
uum, canum, imbecillum, infirmum, quam cernere mo-
rientem viuum, aut viuentem mortuum? Ac, si nonnul-
lis visum est magnam esse senilis etatis consolationem,
prudentiam, vsu rerum quæsitam, quæ illius etatis pro-
pria est: eosdem illos fateri oportet, ex eo ipso fonte ma-
nare etiam ad senes non minimum doloris, atq; mole-
stia: qui enim se prudentem, verumq; agendarum peri-
tum agnoscit, cur non doleat, quæ optimè intelligit, præ
etatis vitio, optimè etiam perficere non posse? & si pa-
triam diligit, cur non angatur, quod, quam consilio iu-
uat, opera etiam iuuare non possit? eoque maior prudenti-
um dolor est, quod optimorum consiliorum fructum nul-
la alia ratione percipi posse, quam si optimè ad exitum
perducantur, intelligunt: quod, nisi vir optimus patriæq;
amantissimus ad agendum accedat, prorsus inania sint fu-
tura. De etatibus satis mihi videor dixisse: quid iam de
generibus hominum loquar: aut nunquid principes vi-
ros, & medios, & infimos æquè miseros esse negare pos-
sum? Reges ipsi quàm miseri sint, quantoq; opere sollici-
tudini, timori, atq; insidijs propositi, satis ostendit Dio-
nysius, cum imminente capiti gladio Damoclem fortuna
sua felicitatem voluit experiri: nec mirum: cum ijs bel-
lorum calamitates, agrorum vastationes, populorum
ædes, vrbium exitia immineant: quæ cum eueniunt,
quæ

Consolatio.

qui victoria potitur, aliquid & ad gloriam, & ad imperium semper acquirit: sed tanta praeter ea rerum amissio, tantusq; sumptus consequitur, ut magni constet victoria, ac plerunq; praestiterit, nunquam arma sumpsisse: si profligatio exercitus, aut clades aliqua contingit, nihil eo statu miserius ne cogitari quidem potest: siquidem captiuitati, inopia, luctui, contemptui coniunctus est. Sed fac Regem esse à bellorum impetu, & à castrorum puluere remotum: sua pacata possidentem, nulla hostium incursione vexatum: num ideo tutior, & à miseris securior? quin immo, ut otium humana natura non fert, ipse sibi molestiam, ac sollicitudinem exhibebit, nam aut de augendis vectigalibus, aut de producendis finibus, deq; urbibus ad imperium acquirendis, aut de iungendis cum potentioribus propinquitatibus, atq; amicitijs cogitabit: quae qui animo agitat, nec à molestia liber est, nec alios securos, ac quietos esse sinit. De Auaritia verò maxima animorum peste, nolim hoc loco pluribus disputare: quae in deside, atq; otiosa mente quàm maximè exoritur: eaq; erectiores animos, & altiores dignitatis gradus maximè sollicitat.

Huic generi infimum hominum genus opponitur: quod, ut nomine abiectissimum, sic re quoq; omnibus calamitatibus, atq; angoribus est propositum. Huic inopia, fames, contumelia, iniuria, tributorum solutio, militia incommoda, misera deniq; omnia perferenda sunt: eoq; miserius est, quòd ceteris omnibus, cum aduersa fortuna premuntur, permulta tamen suppetunt, è quibus consolationem.

A 4

lationem.

M. Tullij Ciceronis

lationem, dolorisq³, leuationem petunt: at infimam plebem natura ipsa fatali quadam necessitate tam abiecto, tamq³, imo loco collocauit, vt omnibus erumnis subiecta, nulla propemodum ratione erigi, aut subleuari possit. Ne mediocris quidem hominum conditio miseriarum expers esse cognoscitur: nam inter summum, & infimum interiecta, alteri paret, alterum patitur: cui si imperare posset, certè longius à miseria distaret. Sed quia neq³, dignitate præstat, nec summos viribus adæquat, suo statu contenta esse cogitur. Itaq³, multis in ciuitate perfun- gitur incommodis, non illis quidem parum Reipublicæ fructuosus, aut valde ad ferendum grauibus, atq³, aspe- ris: sed quæ tamen animum sollicitent, & humanas mi- serias augeant: hæc longiori oratione persequi, non est præsentis instituti: ante oculos omnia sunt, & nobis præ- cipuè re ipsa perspecta & cognita. Nec verò alia est fœ- minarum conditio: aut enim iisdem, aut parum certè diuersis & molestijs, & angoribus vexantur: nam & iis- dem morbis, quibus viri, & iisdem animi perturbationi- bus mentisq³, erroribus obijciuntur: eoq³, miserior illarum status est, quo mollior natura & ad propulsanda incom- moda calamitatesq³, perferendas infirmior: easdem, quas viri, ex parentum, fratrum, sororum, affinium in- teritu molestias, & dolores hauriunt: maritos sæpe fa- tuos, parum de re domestica sollicitos, pecuniam profun- dentes nanciscuntur: ex quo paupertas, & luctus, quibus malis eo premuntur grauius, quòd non, vt homines, in- dagare possunt, qua maximè ratione medeantur incom- modis, rebusq³, suis consulant.

Quan-

Consolatio.

Quantum Tullia mea ex patris exilio doloris, quantum ex maritorum erumnis, & difficultatibus luctus, molestiaq; percepit? & quamuis optanda etiam minime pauca in vita viderit: malorum tamen paucorum sensus, vel doctissimis hominibus iudicantibus, ita acerbus est, ut bonis vel plurimis, & maximis aequetur, interdum etiam praferatur. Per multa praeterea in hoc genere sunt, quae reticere praestat, quam edere: sed magna certe, vel hoc vno nomine, foeminarum miseria est, quod, quamdiu viuunt, parere semper coguntur: aut enim innupta parentibus, & affinibus, aut nupta maritis parent, & seruiunt: sic, quod minus liberae, eodem magis miserae, nec vnquam liberae, nisi e vita profecta ergo mortuae beatae censenda erunt. Nec sane video, quid aptius dici possit: sed, ut ad nos ipsos redeamus? cui vxor contigit, is, praeter communes omnium calamitates praecipuo etiam miseriae genere premitur, quod non solum suis, sed etiam domesticis vxoris, & familiae molestiis, curisq; vexatur: neque enim ab ea, qui cum arctissimo matrimonij vinculo conglutinatus est, aut mente, aut cogitatione seiunctus esse potest. Itaque, tot vexatus calamitatibus, tantisque miserijs circumclusus hominis animus, quid egregium, aut extremum suscipere, aut cogitare potest? mirum: nisi sese abiciat, ac veluti desperatione perculsus humi iaceat. Redeo igitur ad illud, quod initio dixi, neminem esse, quoniam spiritum ducat, non miserum, neminem verè felicem, parumq; sapiunt ij, qui hominem luendorum scelerum causa natum felicem, aut beatum audent nominare:

M. Tullij Ciceronis

nostra enim, quæ dicitur vita, mors est, nec unquam vi-
uit animus, nisi compage solutus corporis, liber æternita-
te potiatur: itaq; mortem in beneficij loco tributam à
Dijs immortalibus ijs, quos maximè dilexerunt, tradi-
tum est: vt, cum, Herodoto auctore, Argia sacerdos,
quod optimum filijs esset, à Dea precata, eos reperit
mortuos: mortem autem, tanquam optimam, illis esse
concessam, credamus sane Apollini Delphico, qui exora-
tus à Trophonio, & Agamede, à quibus templum ma-
gnificè Apollini exedificatum Delphis erat, vt, quod esset
optimum homini, tribueret, post diem tertium exani-
mes sunt inuenti: quo munere iudicauit Deus, & Deus
is, cui diuinationis partes à reliquis Dijs sunt relictæ,
mortem homini omnium rerum esse optimam: itaq; ex-
cutiatur iam, & euellatur funditus falsa illa multorum
opinio, malam esse mortem: quandoquidem, vel Deo-
rum iudicio, non modò mala non est, sed omnium rerum
optima, & omnium munerum, quæ humano generi dari
possunt, præstantissima: præclare: nam & miseriarum
omnium, quas viuentes pertulimus, finis est in morte, &
vitatio futurarum, in quas progredientes in vita incur-
runt: docemur enim exemplis è propagatione vitæ per
multos optimos, & fortissimos ciues incredibiles hau-
sisse calamitates: immerentes dixerit aliquis: ergò non
sunt in miserijs ponendæ: nihil enim miserum, quod non
culpa contractum: de hoc aliàs viderimus: sed calami-
tates certè fuerunt: quarum etiam vnica cogitatio, quæ
præteruelat, & effugit, non modò sensus, qui corpori str-
mius

Consolatio.

mius inheret, acerbitatis habet plurimum: ex quo verè colligi potest, sapienter fecisse Thraces, qui, si Herodoto credimus, nascentibus liberis lugere, morientibus letari solebant: exitum videlicet vitæ, ut miseriarum finem, & quietis portum, probabant: vitæ initium, ut ingressum ad molestias & dolores, inuiti videbant. Si ergo nascimur miseri, morimur beati: quis in hanc lucem edi velit. ut miseris opprimatur? quis non potius mori, ut beatam vitam acquirat? & si hoc nobismetipsis, ut optimum, vellemus? cur liberis, & affinibus, diuersum? an melius nobis, quam ijs, quos summe diligimus, esse velimus, aut potius beatè nobis, miserè ipsis & infelicitè? hoc certè nullo modo: quamobrem amanda mors semper omnibus, carissimis etiam optanda. Ac, si quibus mori præstat, quàm viuere, ijs præcipuè, quos & acta cum virtute vita claros effecit, & mors, satis diuturna vita perfunctos, molestia afficere non potest. Nasci verò non intelligo, quibus expediat: nam in arumnas miserasq; ingredienti quid gratum, quid hilare aspiciamus? quare potius non offendimur? quod primus ille nascentium infantium vagitus, & eiulatus satis declarat. Tributus enim est ab optima parente natura, quæ nihil inane solet efferre, ac potius ijs rebus, quas efficit, admiranda semper edit vel pietatis, vel iustitiæ, vel prudentiæ documenta. Ex quo intelligi licet, non nasci longè optimum esse, nec in hos scopulos incidere vitæ: proximum autem, si natus sis, quamprimum mori, & tanquam ex incendio effugere fortuna. Sileni quæ fertur fabula, si grauioribus

bus

M. Tullij Ciceronis

bus ludicra interdum admiscere liceat, idem certè confirmat: qui captus à Mida, missionem doctrina redemit: docuit autem Regem, nunquam nasci optimum esse, sed celeritatem mortis proximè accedere: idemq; Euripidis testimonio, poeta sapientissimi, comprobatur. Sed Crantor noster patri, filij mortem agerrimè ferenti, responsum ait datum esse in Psychomantio, filio suo bene beateq; esse, vtiliusq; futurum fuisse, si etiam pater paviratione fatis concessisset. Quamobrem, si dolorum finem mors affert, si securioris & melioris initium vitæ: si futura mala auertit: si medetur presentibus: si nos ex plurimis vel morborum, vel molestiarum, vel acerbissimum periculis educit, cur eam tantopere accusare, aut dolorem ex ea deriuare velimus, ex qua potius consolationem, ac lætitiā haurire fas esset? Nisi si, quod mortem subsequitur, nos fortasse sollicitos habet: de quo libet pauca dicere, ne hic vnus ad molestiam, doloremq; alendum angulus relinquatur: qui profecto insipientibus obijciendus non est, nec in tanto argumentorum aceruo, quibus mortem ipsam nobis obstringere conamur, committendum, vt hoc vno nomine minus nobis debere videatur: & quamquam hæc futuri post mortem temporis cura hominis propria non sit, sed Dijs immortalibus potius relinquenda, quorum nos vel liberalitati, vel sapientia permittere fas piūmq; esset: qui enim nascentium curam suscipiunt, qui viuentes protegent, alunt, tuentur, fouent, cur morientes deserant? tamen aliquid etiam modestè de ijs exquirere, non est inutile. *Necesse est*

Consolatio.

est autem, sit alterum de duobus, ut aut sensus penitus omnes mors auferat, aut in alium quendam locum ex his locis morte migretur: quod si morte sensus extinguatur, obitusque noster ei somno similis est, qui nonnunquam etiam, sine visis somniorum, placatissimam quietem affert, quid lucri est emori? aut quod omnino tempus reperiri potest, quod ei tempori anteponatur, cui similis futura est perpetuitas omnis consequentis aetatis? sin migrationem malimus esse mortem in eas horas, quas de vita profecti incolunt: quid optabilius, quam ad eos proficisci, quos mortuos viuens dilexeris, & cum ijs perpetua vita perfruis, qui, ut nos in laude viueremus, & libenter moreremur, suis & praeceptis, & exemplis tantopere laborarunt? mihi certe nihil videtur euenire posse gratius, quam, si mors aditum ad alia loca patefaciat, ad eos venire, & cum ijs esse, quos & maxime dilexi, & nunquam non diligere ac laudare possum. Ad meos autem & affines, & amicos ut peruenero, quantopere letabor? quae iucundior collocutio, qui suauior vel congressus, vel complexus? O vitam verè vitalem, ut ait Ennius, omnibus bonis, ac gaudijs circumfluentem: sed beatam etiam mortem, quae ad beatissimam vitam aditum aperiat. Me quidem, & si dolore vehementer perculsum & afflictum, his tamen monitis, & praeceptis non mediocriter alleuari sentio: itaque neminem puto fore, quem non rationes, à nobis tam studiose è sapientum libris collectae, iuuent, ac delectent: eoque magis, quo leuiores erunt aliorum dolores, quam hic, quo nos tantopere vexati sumus

M. Tullij Ciceronis

sumus: nam si amor, si pietas filiae, si virtus, si gravitas, si constantia, si cetera, quae vix in feminis spectari, nedum requiri solent, considerata sint: tanta facta iactura, gravissimè dolere debuimus: sed vincat dolorem consolatio: nec iam, quid amiserimus, sed, quatenus mortalem filiam lugere deceat, cogitemus. Hoc nos in mœrore nostro: quod certe fortis est egroti, non solum accipere, sed etiam exquirere medicinam. At, si quis erit, quem dolor à ratione auerterit, cui non satis firma videantur ea, quae iam dicta sunt: is se hominem esse meminerit: nihil autem humanius esse morte, ut, si mors ab ipso diuelli, atque auferri posset, Dîs propior habendus esset, quàm hominibus, nec omni ex parte hominis nomen ipsi congrueret, quia communi, & præcipua hominis conditione non uteretur, præterea lacrymis nihil profici, quae si quid adiuuenti afferre possent, non solum effundendæ, sed studiose conquirendæ viderentur. Denique, non solum iniuste, sed etiam turpissimè agere qui immodicè doleat: turpitudine enim peior est dolore: siquidem dolor homini à natura insitus est, nihilque habet infamiæ: turpitudine autem iccirco vituperanda, quòd aliquid semper indecorum continet, culpa contractum: at omnis immodicus dolor turpis est, & à viro alienus: quandoquidem, ut immodicè, præterque rationem doleas, sponte efficis: ex quo culpa exoritur: quae homini maximè fugienda, vitandaque est, ne cogitationibus mollissimis, quales interdum perditè amantes suscipere solent, nimium perturbemur, & effeminemur: quin potius nos ad Homericæ præcepta referamus:

Corde

Consolatio.

Corde age sis firmo nec te submitte dolori:

Namq³ aliquid grauius peiusq³ aliquando tulisti.

Nemo videlicet suorum funera experitur, cui non aduersa multa antea contigerint: ita varijs omni ex parte incommodis humana natura concluditur: cur igitur grauiora, vel certè aequè grauià fortiter passus, cum maximè occalluisse, & ad dolorem nouum obduruisse deberet, despondeat animum, sequi mœrori tradat? quod etiam iniustum esse, paullo antè dicebamus: natura enim vsuram nobis vitæ dedit, tanquam pecuniæ, nulla præfinita die: quod si, cum libet, sua repetit, ea conditione commodata, vt restituenda sint, cur accusatur? aut, cur non potius naturæ gratias agis, quòd, cum citius potuisset, tardius repetierit, quàm, quòd aliquando repetierit, iniusta querela insequeris? certum est enim, non habitandi locum, sed commorandi diuersorium, nobis esse concessum: è quo cum migramus, alacres tanquam ex hospitio miseriarum atq³ incommodarum plenissimo, egredi debemus, ac letissimo animo ad futuram vitam, tanquam ad patriam, euolare: quòd sapientes re ipsa præstitisse memorantur: profectò enim, si quid est, quòd morientes perturbet, aut morientium affines habeat sollicitos, id totum aut ex falsa quadam opinione oritur, quòd vitæ huius vsus nimis vtilem, ac iucundum arbitremur, aut ex nimio in nosmetipsos amore caritatèq³ prouenit. Sed opinionem illam, quam rationes adeò firmæ conuellunt, libenter deponere debemus: ab hoc verò amore nimio tantò libentius abhorrere, quanto indecentius est, vitæ munere perfunctos velle

eriam

M. Tullij Ciceronis

etiam in vita, Dijs inuitis, commorari: communemq³ omnium, qui ante nos è vita discesserunt, conditionem recusare: demum, tanta esse mollitie, tantaq³ impudentia, ut ne in morte quidem confirmemur, ac resipiscamus. Quòd si nostrorum mortem dolemus, cogitemus aliquando, moriendum ipsis fuisse: mortem autem incertam esse, nec in hominis arbitrio positam, sed è Deorum voluntate pendere: quos verò lugemus, eos quoq³ suorum mortem vidisse, patienterq³ tulisse: ideoq³, suo exemplo, quid nos facere velint, precipere, deniq³ id, quod ad consolandum maximum, ac firmissimum est, non eos nobis penitus ereptos esse, nec prorsus amissos, sed ad præfinitum tempus à nostris oculis, nostraq³ consuetudine remotos: itaq³, cum ad eum vitæ terminū, quem natura præscripsit, nos quoq³ peruenerimus, statim eorum consuetudinem regustabimus, & ad suauissimam vel consuetudinem, vel conuietum redibimus. Mortem suis acerbam amarāq³ in moriendo esse, nonnulli existimant, atq³ ideò fortasse perturbantur: quod me quidem, sublatis grauioribus dolendi causis, quas iam superiori disputatione reiecinus, minimè angit: ipse enim discessus animi à corpore vel cum nullo, vel certè cum modico dolore fit, & interdum sine sensu: nonnunquam etiam, si rectè sapimus, cum voluptate. Sed, quidquid sit, totum hoc ita leue est, qualia sunt ea, quæ puncto temporis fiunt: nec, si mors paulo longior alicui contingat, desperandum est de eorum naturaq³ benignitate, quin eo quoq³ tempore properantem è vita discedere foueant, atq³ alleuent: cuius rei in mori-

rienti-

Consolatio.

uentibus sepiſſimè ſigna minimè dubia cernuntur: cum
velut è ſomno, exciti, quo tempore extremum ſpiritum
edituri ſunt, ita gaudentes & alacres aſpiciunt, vt li-
bentiſſimè iudices è vita proficiſci: quamobrem ne hæc
quidem vllam æquam doloris afferre cauſſam poſſunt,
qui certè comprimendus ac minuendus eſt, quòd, etiam
ſi nolis, tempore tamen ipſo extenuatur, & euaneſcit:
non, quòd minuendi doloris vis in ipſa die poſita ſit, ſed
quòd vſus ipſe cogitatioq; diuturni temporis doceat, ni-
hil eſſe in morte mali, ideoq; leuiter, & patienter feren-
dam. Sed turpe ſtultumq; eſt homini, tanta tamq; va-
ria rerum cognitione inſtructo, non à ſe ipſo potius ma-
ture, quàm ſerò ab vſu, & cogitatione doloris remedia
expectare: quæ tam firma ſunt, vt neminem fore putem,
quem non vehementer non iuuent ſolum, ſed etiam per-
moueant: mihi verò eo magis neceſſaria fuerunt, quo
turpius viſum eſſet: me, qui ceteros conſantiſſimè con-
ſolatus eſſem, in meo dolore iacere: voxq; illa exaudiri,
& fortasſe non immeritò, potuiſſet.

Hiccin ille Cicero, cuius ob os Graij,
Ora obuertebant ſua?

Sed nos Philoſophia aduerſus omnes vel tempo-
rum, vel fortunæ, vel naturæ inſidias muniuit: quæ ita
fortis eſt, vt nullius iniuriæ impetum extimeſcat: ita le-
nis & ſuauiſ, vt omnes acerbitates facilè mitiget ac
molliat: ita demum vtilis & fructuoſa, vt totam ſe ad
B huma-

M. Tullij Ciceronis

humanas utilitates liberalissimè porrigat atq; explicet: nec verò secus debet: quæ enim humanarum miserrarum cumulum optimè norit, & acutissimè perspiciat, si eas patiatur manare longius, neq; homini merore confecto consilio presidioq; suo præsto sit: quid illo miserius? quid vita nostra laboriosius, aut tætrius? aut quid prodesset, ad spectum à natura ad supera erectum accepisse, ut cælum contemplari, ut Deorum maiestatem cogitare, aut à Dijs immortalibus mentem & rationem, ut utilia cognoscere, honesta à turpibus secernere, & aqua amplecti, ab iniquis abstinere possemus, voce deniq; ipsa & oratione frui, quæ nullis animantibus concessa est, quaque ceteris omnibus, quæ sub cælo sunt, viventium naturis antecellimus? inania hæc videri possent, si tam multis ex æduerso miseris oppressa hominis natura neq; se ad cælestia erigere, nec tantis bonis, quibus maiora esse nulla potuerunt, vti posset: sed profectò, ut contra serpentium virus phar macorum genera multa, contra inopiæ calamitatem sollertia & industria, contra turpitudinis voluptatem pudor & verecundia, sic contra doloris morsum philosophia nobis data est Deorum immortalium concessu atq; munere: quam ut nemo satis pro dignitate laudare queat, sic quàm plurimi mentis tranquillitatem, animi moderationem, in voluptates imperium, in acerbiora summa quandam vim ac fortitudinem illi vni acceptam referant necesse est. Neq; nos aut in exilio patientes, aut in honorum cursu temperantes fuissemus, aut nunc in tanto merore sapienter & fortiter

Consolatio.

ver versaremur, nisi tuo philosophia optima rerum hu-
manarum moderatrix, beneficio. Tu vero felix & be-
ata, Tullia mea, si quis tibi in morte sensus est, qua tot
tantisque miseris, quibus proposita fuisses in vita, vna
morte perfuncta es: à presentibus malis expedita, ab
impendentibus erepta, & in tuto ac tranquillo quietis
portu collocata: merito tibi mortem iucundam fuisse pu-
tem, cum vel ea bona, quibus viventi frui licuit, animo
reputas, vel mala, qua moriens vitasti, mente, ac cogi-
tatione complecteris. Ego autem, cum te felicem iudi-
cem, ac, si dicere liceat, penè oculis cernam, cur tua
morte excrucier? potius letabor, ac tibi, tanquam de re
optatissima, gratulabor: cui nisi molestum est, me iam
atate confectum in tam perturbata Republica, tamque
misero vitæ genere reliquisse, quid iam graue aut acer-
bum esse possit? Sed hoc quoque ratione ipsa leuius ali-
quanto efficitur: neque tu nunc, quid me perferre necesse
sit, sed, quam non multo post tecum iisdem bonis usus-
sim, debes cogitare: nihil enim accidere valde graue po-
test ijs, qui spe iam propinqua futuri boni recreantur, &
aluntur. Sed nescio qui nos teneat error, aut miserabi-
lis ignoratio veri: non enim tantoperè bonis delectamur,
quam malis affligimur: ex quo fit, vt hæc etiam nolentes
augeamus, bona autem, qua fruendo, cogitando, gau-
dendo maiora efficere expediret, etiam deteramus: quod
certè minime oporteret: nam si serio disputare volumus,
cur dolores resque aduersas refugiamus, qua fortitudi-
nem in nobis gignunt, & efficiunt? qua si nulla essent,

M. Tullij Ciceronis

nulla profectò fortitudo agnosceretur : cur mortem horreamus, quæ assidua sui memoria, nos vt meliores simus, admonet? nec patitur, ad ea nos animum adiungere, quæ aliquam nomini nostro vel intemperantiæ, vel iniustitiæ notam possint inurere. Bona verò, & ea quæ probantur in vulgus, cur tantopere appetamus? quæ consecuti, molliores plerunq; ac deteriores euadimus: itaq; his voluptatum lenocinijs obruimur, vt discessum ex hac vita impendere, vix aliquando recordemur. Sapienter philosophorum princeps, & magister Plato: quæ sensus appetit, aut timet, nihil aliud esse, quàm somnia: itaq; penitus contemnenda esse: mala verò vt vitentur, ad æterna properandum: quò nisi confugas, vitari nunquam posse: at ad æterna ne properari quidem potest, nisi morte ianitore, ac duce. Quorsum hæc? vt intelligamus, non modò à dolore vacuam, quietam, oportunam, bonam deniq; esse mortem, sed etiam summorum atq; immortalium bonorum liberalem, ac beneficam ministram: itaq; Cato sic è vita discessit, vt lætaretur, causam se nactum esse moriendi. Iam nemini dubium esse potest, quin vir prudentissimus, si suæ morte lætaretur, mortem etiam optimam esse agnosceret. Certè enim in re sua, quæ præsertim sensu percipiatur, nemo fallitur: quod comprobare possum Artabani Xersis patru, viri sapientissimi, testimonio: de quo est a quod Herodotum, cum Xerses exercitus sui copias penè innumera- rables, ante se in aciem instructas intuens collacrymatus esset, neminem ex tot militibus ad centum annos
super-

Consolatio.

superstitem futurum, illum Xersi respondisse: at tam multa sunt, tamq̄, misera, quæ viuentes perferunt, vt nemo sit, quin mori sæpissimè cupiat: cum incidentes calamitates, & morbi vitam aded perturbent sollicitamq̄, habeant, vt longissima videatur: itaq̄, mortem perfugium esse ærumnosæ vitæ, dubitare nemo potest: nec his contentus addidit etiam illud: Deos immortales, cum hominum vitam, quæ aded misera sit, multis bonorum integumentis velarunt & operuerunt, fecisse quodammodo inuidentiùs, ne mortis suauitatem, quanta est, omni ex parte degustaremus. Amphiaræum fabulæ narrant Ioui atq̄, Apollini fuisse carissimum, neq̄, tamen illum senium attigisse: ex quo quid aliud conyici potest, quàm mortis celeritatem diuinum munus, & lucrum esse maximum? itaq̄, scitum est illud comicum:

Nam quem tuetur atq̄, diligit Deus,
Iuuenis supremum mortis intrat limitem.

Neminem enim, quem dilexerint Dii, patiuntur esse miserum: quare vitam eis, miseriarum plenam, adimant necesse est: quid autem contingere homini tam gratum potest, quod eum magnoperè in vita retineat? voluptas, credo, quam ex alicuius siue artis, siue doctrine tractatione percipit: at doctrina amulationem, omnium rerum molestissimam, si quæris, etiam dolorem parit: non tam enim delectamur, aliquid discentes, quàm angimur, multò plura, ac maiora, quæ scire vellemus, penitus ignorantes. Artes verò, quas tenuiores tractant, quid habent voluptatis, aut quid non potius molesti-

M. Tullij Ciceronis

inolestiarum, & mœroris? quanta inter eos, qui illas exercent, perfidia? quantum odium? quanta inuidia? aut quis est sua sorte contentus, & non aliene sue industria, siue fortuna, emulator, osor, detractor? Sin ciuilem vitam quisquam appetit, & in Reipublica luce viuere pulchrum putat, is se exigua, ac penè nulla honoris specie magnas comparare calamitates certò sciat: quotus enim quisq; est, cui non publica administratio vel mœroris, vel iactura tantum attulerit, quantum verbis explicare vix queat? ac, si de toto vita cursu iudicare verè volumus, exitum videamus. Vbi optimi Reipublica administratores, seu verius parentes, Miltiades, Ephialtes, Cimo, Themistocles, Aristides? quantum illis fides, charitas, integritas, constantia peperit miseria? vt non modo honoribus, dignitate, auctoritate spoliaret, sed etiam in exsilium miserit: quod contra oportebat: viros optimos, patriæq; amantiſsimos honore affici, in oculis ferri. Scipio Africanus apud nostros optimam causam amplexus, paucorum immoderate libidini repugnans, mane mortuus in lecto est inuentus: nec absuit suspicio, quin ab vxore, quæ Gracchorum soror fuit, interfectores essent immissi. Metello autem Numidico, homine omnium clarissimo, ac prestantissimo, quid miserius? qui, ne in legem perniciosam iuraret, in exsilium abire sit coactus: fateor profectò, inter omnia exilij genera, atq; omnes miseriarum causas maximè honestam Numidici fuisse conditionem: cui probitas, integritas, in patriam charitas calamitatis causam attulerit: sed tamen fatendum

Consolatio.

fatendum est, grauiſſimam fuiſſe calamitatem, pelli patriam, auelli à ſuis, bonorum direptionem, liberorum ſiue inceſtutiam, ſiue erumnam videre. M. Regulum, G. Marium, L. Brutum, ob liberandam patriam interfectum, præterio: nolim, in ijs commemorandis nimius videri, quorum exitus nemo eſt, quin ex libris, imaginibus, fama deniq; vulgari iam didicerit: qua cum multa maximeq; grauia ſint: grauiſſimum tamen illud debet videri, quòd homine ambitionis vinculis irretito, quiq; e popularibus ſuffragijs totus pendeat, nihil vſquam infelicius reperiri poteſt: quantus in eo timor, quanta dubitatio, quantus conatus, quanta ſollicitudo? vt nullam illi à moleſtia vacuam eſſe horam, non immeritò ſuſpicari poſſimus: nam, ſi ſeruiantis ea eſt conditio, vt ex eius, cui ſeruit, moribus, voluntate, ingenio propriam ſibi fortunam fingat: qui populo ſeruiet, auido, inuido, ignaro, ad mutationem procliui, & quod caput eſt, ingrato, num aliquando beatus eſſe poterit? an potiùs, quoties de eius natura cogitabit, toties ſuam ipſe calamitatem, ac fortunam conqueretur? præclare vetus Poeta:

Aeterno mixtam luctu mortalibus vitam,

Olim conſtituit diuum pater, atq; hominum Rex.

Itaq; quàm diu hac luce vtimur, viuere quidem videmur, ſed verius aſſiduè morimur, aut ſaltem vitam verbo retinemus, re ipſa amiſimus. Equidem non video, quid in hominis vita valdè optandum, aut felix eſſe poſſit: multos potiùs, ne in maiora, quàm qua humana conſuetudo quotidie fert, mala inciderent, mortem ſibi

M. Tullij Ciceronis

dedita opera consciuisse scio: quod tamen non idcirco dictum velim, quia probandum putem: sed, ut ex eo appareat, humana vita quam multis vndiq; prematur difficultatibus. Cleomenes Lacedamonorum Rex, eiusq; filius, morte ultro appetita, praeterea Theagenes Numantinus, qui, ne in hostium manus veniret, primum suis, deinde sibi ipsi mortem attulit, quantum operè vita fugienda sit, satis videntur aperte declarasse. Ac nisi turpe videatur, homines à mulierculis, multo certè imbecillioribus, fortitudinis exempla petere, repetamus ex historijs Asdrubalis uxorem illam, quae, Carthagine in hostium potestatem redacta, se ipsam cum tribus filijs in conflagrantis patriae incendium immisit. Sed praeter haec, quae iam testata sunt, & illustria, fateamur sanè ingenuè, tantam esse humanae naturae miseriam, ut neq; genus ipsum hominum, nec è toto genere singuli miseriarum expertes esse possint: quod eo magis mirandum est, quòd non ijs solum malis, quibus hominis natura assidue affligitur, mala nostra praescripta sunt, sed ipsi nos, quantum in nobis est, miseriore quotidiè reddere conamur: nullum enim aliud in toto terrarum orbe genus animalium reperias, praeter vnum hominem, quod in proprium genus, atq; in se ipsum sauitiam exerceat suam: meritoq; Dicaearchus in eo libro, quem de hominis interitu luculentum & eruditum conscripsit, nihil habere dubitationis putauit, quin multò plures extincti sint homines ipsa hominum sauitia, & acerbitate, quam omni reliquo genere calamitatis: tanta est enim in permultis

auaritia,

Consolatio.

avaritia, tantum ambitionis, imperij, diuitiarum studium, ut explenda cupiditatis gratia nihil sibi non licere putent: atq; hoc malum non iam angustiis finibus compressum videmus, sed superioribus seculis erupisse vehementer, & manasse latius: non enim certum aliquem hominum numerum, sed regna ipsa, & tota: persape funditus sustulit ciuitates. At, si ad singulos homines, quae proxima ratio est, mentem cogitationemq; conuerteris, ne in ijs quidem quidquam reperies, quod valde appetere, aut approbare possis: singe enim animo quidquid homini felix, aut beatum ex opinione vulgari possit in vita contingere: congerantur diuitiae, bona valetudo, honores, potentia, etiam voluptates accedant: cum haec omnia in hominem contuleris, nihil tamen tribueris stabile, aut firmum, nihil, quod non repentinam, & assiduam pati mutationem possit: caduca enim & incerta sunt omnia, non in humanis consilijs, aut viribus posita, sed in fortuna temeritate, ac temporum vicissitudine constituta: quid autem homini turpius, quam e temporis ac fortunae mutatione pendere, & secundo illius flatu subleuari, reflatu deprimi & affligi? aut letis rerum euentis gloriari, aduersis lugere, nec lacrymis temperare posse? quid iam intersit inter hominem mutamq; pecudem, si nos perinde atq; illa, quibus rationem Natura denegauit, extrinsecus toti pendeamus, in nobis ipsis nihil fortitudinis, nihil firmitatis, nihil habeamus constantiae? quamuis enim homini non mater, sed verius nouerca Natura corpus fragile, infirmumq; tradiderit,

A S

animus

M. Tullij Ciceronis

animum autem & in molestijs anxium, & in timore humilem, & ad labores mollem: plurimos tamen in seuit diuinos ingenij iudicijq; igniculos, quorum auxilio & cum dolore luçtari, & timori obsistere, labores verò omnes nullo negotio vincere, ac perferre possemus: itaq; tributum diuinitus mentis ignem, & prudentia, non extinguere, sed sopitum fouere, atq; augere debemus. Mors autem, progressis in vita longius si immineat, nihil est, cur magnoperè commoueamur: quæ præsertim aut meliorem, quàm quouiuentis fruimur, aut certè non deteriore[m] vitæ statum sit allatura: quis enim negabit, si animus omnino intereat, extincto sensu nihil esse mali: propterea q; nullam iustam doloris causam existere: at, si vigeat, corpore solutus ac liber: quid iam illa vita beatius, quid diuinius? ex quo maxima & verissima letitia ac voluptatis exoritur occasio. Itaq; nihil iam restat, quo minus, optimam esse mortem, verè affirmare possimus, tantumq; abesse, vt, cum adest, dolenda sit, vt nunquam fugienda, sæpe etiam optanda videatur: atq; eo magis, quo diutius in vita homo permanserit: nam, cum ijs bonis, quæ afferre vita potest, satiari cœperit, tùm ab humanis molestijs secedens, in beatissimam vitam commigrabit: non enim is ego sum: qui animum simul cum homine interire putem, tantumq; mentis lumen, è diuina natura delibatum, posse extinguui, sed potius, certo tempore emenso, ad immortalitatem redire: quid autem hominem magis deceat, quàm tam multis tamq; firmis rationibus nixam, virilem animum retinere, femineam molliem exsuere?

Consolatio.

exsuere? qui verò mortuos nimis lugent, nec humanam conditionem magno elatoq; animo despiciere possunt: in eos illud probri plenum verè dicitur:

Vos etenim iuvenes animum geritis muliebrem:
Illaq; virgo viri.

Multa enim reperta feminae sunt, quae in domestico luctu singularem animi praesentiam, ac magnitudinem praestiterunt. Sed virilis fortitudo, ut libidini, sic dolori, non aliter, quam seruo domina, imperare debet, eamq; coercere, ac frangere, tanquam vitiosam & imbecillam animi partem: quam si emergere patiatur, seque paullo altius efferre, non modò rationi praecurret, sed etiam victrix in animo exsultabit: quo nihil hominì turpius, aut perniciosius ne excogitari quidem possit. Gorgias orator, iam aetate confectus, ac morti proximus, rogatus, num libenter moreretur: Maximè verò, inquit, nam tanquam ex putri miseriaq; domo laetus egredior. O virum egregium, dignumq;, cuius vigeat in omnium ore, ac mente sententia: quid enim potuit praeclearius dicere? cum mala, quae viuentem pati necesse est, cogitaret, miseriarum finem, quas moriens relinquebat, adesse letaretur? sic par est loqui hominem, qui non libidine vexetur, non voluptatis illecebris irretiatur, nulli deniq; pareat cupiditati: quae summa est ratio & sapientia, humana necessitati imperare, non dolori cedere, non desiderio angì, nihil deniq; humanum extimescere.

Angamur liberorum aut affinium interitu? quid igitur? ut stultos imitemur, qui, quae mutari non possunt, quaeq;

M. Tullij Ciceronis

quæq; vel nolentes opprimunt, perferre nequeunt: saniores, quorum tam multa extant ad aeternitatem illustria siue exempla, siue testimonia, negligamus? quid est aliud, cæcorum more ambulare, & cum in celebritate versari, ac Solis lumine uti possis, solitudinem tamen, ac tenebras quærerere? iam enim ad eos, quos emulari satius est, quosq; nobis imitandos proposuit antiquitas, nostra delabatur oratio. Mortem igitur in malis nullo modo esse ponendam, sed in præcipuis bonis numerandam, dubitaturum puto neminem: si enim à miserijs abstrahit, si in meliorem vitam inducit, si neq; misera ipsa est, nec ullius particeps miseria, cur mala censeatur? sin hoc largitur, ut sempiternis bonis potiamur, vitamq; quam mortalem habuimus, aeternam adipiscamur, quid morte beatius esse possit? itaq; sapientissimos homines accepimus non modò suorum morte non percussos, neq; dolore vllò affectos, sed etiam sapissimè letatos esse. Anaxagora, inter familiares suos de natura rerum differenti, filij mortem nunciatam tradunt: nihilq; aliud ab eo responsum, nisi se illum genuisse mortalem: præclara verò vox, & verè digna, quæ à tanto viro emitteretur: non enim sanè video, quid sapientius, aut constanter dici posset: an adolescentem illum esse mortuum? fracti hoc animi, nec in rebus aduersis admodum firmi signum fuisset: an angere sese non sua, sed filij causa? num igitur ignorare se fateretur, quantis è malis elapsus esset filius? an se quidem dolere, sed tamen humanum casum agnoscere? vbi ergò hominis grauitas, iudicium, sapientia?

Consolatio.

piencia? aut quid ab imperitorum turba distabit? è quibus tamen saepe multi nec ijs rebus anguntur, quae necessario eueniunt, nec, quo minus eueniant, cum communes omnibus sint, laborandum vlllo pacto censent. Ille verò sapiens, & verè Philosophus: quem neq; improuisus nuntius perculit, nec à disputatione abduxit, sed potius vocem expressit, summae indicem fortitudinis, ac sapientiae: vellem & hoc ipsum de pluribus ex nostris dicere liceret: quos si qua interdum fortuna oppressit iniuria, nihil aliud iudices, quàm prostratos illos, ac penitus abiectos esse: quasi verò aliquid acciderit, quod vel ante ipsos nemini, aut, quod ipsis, si minus hoc tempore, saltem paucis post annis non euenturum fuerit: ac, cum maximè animo vigere deberent, tum praecipue non solum praeterita patriaq; virtutis, sed etiam humanae legis, ac panè obliuiscuntur sui: tantum in eorum animis mollities potest, ac seruitus quadam doloris atq; tristitiae. An ego illum iudicare liberum possim, cui dolor imperat? quem repentinus casus perturbat, impellit, euerit? qui nihil praè doloris magnitudine, cogitare, nihil meditari queat? qui nihil in se ipso, in temporibus, atq; in fortuna, quae stabilitatis nihil habet, sua ponat omnia? ego verò istam non modò seruitutem, sed panè captiuitatem, & quidem miserrimam, censuerim: quid enim interest inter eum, qui vincetus ab hostibus, & carceribus conclusus, obsideatur, & eum qui dolore captus, suo prorsus careat arbitrio? at ille quidem, etsi corpore seruiat, animo tamen liber est, nec dubitat aliquando fore, vt libertatem

M. Tullij Ciceronis

Veritatem assequatur: qui verò dolori paret, nec valet corpore, & animo quàm maximè laborat: non enim amicis frui, non Reipublica prodesse, non priuatas res curare, non publicis consulere potest: ita in otio, & quidem molestissimo, nec cuiquam paret, & tamen sibi non imperat: qui cum assiduis, & maximis prematur angustijs, alterum esse necesse est, vt quamdiu in dolore versatur, semper miser sit, alterum fieri nullo modo potest, vt, nisi dolere desinat, à miserijs eximatur. Quanto sapientius Xenophon, qui, cum sacra solemnia perageret, maioremq; natu filium in praelio apud Mantineam cecidisse audiret, coronam tantum è capite deposuit, sed in sacris peragendis constanter perstitit: vbi verò cognouit, fortiter pugnantem occidisse, coronam rursus capiti imposuit, Deosq; ipsos, quibus litabatur, testatus est, maiorem se ex filij virtute voluptatē, quàm ex obitu molestiā cepisse: huic ego non dubitarem, quin omnia, quaecunq; accidere possent in vita, nullam essent perturbationem allatura: qui enim vsq; eo in Deorum cultu constans, & firmus esset, vt neq; filij morte nunciata, ab ijs auocari posset, cur eum credam filij morte lugenda à Deorum voluntate dissensurum fuisse? aut qui virtutem, filij vitæ anteferret, non iure credi possit, illum & virtutis studio incensum, & patriæ charitate impulsam, omnes molestias, omnesq; calamitates libentissimè fuisse subiturum? sed quo rariores qui hoc modo animati sint, hoc præclariores viri: nihil enim ad laudē illustrius, quàm in eternam gloriam, aut in patriæ utilitatem intentem, aut saltem fortiter dolores perferentem, & cum
fortuna

Consolatio.

Fortuna luctum antem negligere humana: qua qui nimium
turant, in laudis studium, civium commoda, denique omnia,
qua laudabilia putantur, prorsus e mente, ac cogitatione
eiciat, necesse est: neque enim humanis curis implicitus to-
to animo de patria salute, atque utilitate cogitare, aut lau-
de sibi praeclaris actionibus comparare, vel egregium quid-
quam suscipere, ac sustinere queat: suis autem commodis,
ac rationibus prospiciens, et consulens cetera omittet, de se-
ipso dies noctesque cogitabit: ita nec boni civis, nec boni viri
fungetur officio: bonum enim virum decet, de ceterorum
commodis aequè laborare, ac de suis: bonum verò civem sua
omnia posteriora habere, patriae commoda prima & maxi-
ma ducere: à quibus neque dolore, neque vlla omnino huma-
na auelliperturbatione debemus. Pericle narrant historiae
intra quadriduum duobus filiis, eximia indolis adolescen-
tibus, esse orbatum: qui vterque eo fortis, ac constans in luctu fu-
it, ut nihil prorsus de pristino habitu cultuque deminuerit,
sed eundem, quem antea, in concionibus habendis morem ri-
tumque servavit: nec unquam coronam e capite deposuerit:
de quo traditum est, nihil eum putavisse indignius futurum,
quam si aliquod fracti animi signum in ceroris causa mulie-
bri more edidisset: fortem sane hominem, & magna laude
eternaque memoria dignissimum: quem neque natura vis,
ad nimium saepe amorem trahens, potuerit de statu dimo-
uere, & ad dolorem abducere, nec liberorum desiderium,
quos tamen summè dilexisse dicitur, vlla ratione pertur-
barit: nec mirum: vera enim fortitudo inanes sollicitudines
eicit, ac depellit: opprimit cupiditates: imperat timori:
nihil

M. Tullij Ciceronis

nihil autem appetit, forti viro indignum: nec ab vlla re vel metu, vel inconstantia repellitur: & quamuis excelsam elatamq; naturam ratio ipsa, doctrinae praeceptis imbuta, confirmet: quod Pericli doctissimo homini, maximoq; ingenio praedito sine vlla dubitatione contigisse, prorsus mihi persuadeo: ipsae tamen fortitudinis radices in animo praecipue insident: qui cum humana despicit, nec ad humilia, quasi humi depressus, vlllo pacto adhaerescit. facile fit, vt vberiores, & maturiores fructus ferat, cum ad eum, veluti ad agrum optimum cultura, ratio etiam accesserit conformatioq; doctrinae: non enim, sensu omni doloris caruisse summos viros, credendum est: qualis enim nihil sentientis animi, sensuq; prorsus carentis esse fortitudo potuisset? Sed dolorem sentientes, ad eum opprimendum, ac vincendum summam animi contentionem adhibebant, tantumq; nitebantur, vt e pugna discederent superiores: verum enim illud est, nullam animo maiorem pestem, vna remissione, posse contingere: qui si intentus est, seq; ad resistendum parat, omnia sustinet pondera, omnia vel firmissima tormenta facile discutit ac depellit: at remissione eneruatus, & effeminatus, ita deprimitur & vrgetur, vt se ad aequitatem nequeat extollere. Nec verò quisquam doloris impetum excipere ac fortiter perpeti posset, nisi se prius ad obsistendum comparasset: aut fortitudinem acquirere, nisi prius doloribus multis acerrimè, ac fortissimè restitisset: ex quo consuetudo fit, quae callum obducit animo, nosq; contra omnes vel naturae, vel fortunae impetus

Consolatio.

petus armat. An censemus Harpagum Medum tantum fortitudinis exemplum, quantum ab Herodoto memoria mandatum est, edere potuisse, nisi prius in patientia ac fortitudinis exercitatione sapissimè versatus esset? nec sine maximo fructu, magnaq; potius cum nominis sui gloria: tantum enim fortitudine, ac prudentia præstitit, ut acerbissimam iniuriam sine vlllo planè doloris sensu pertulerit, & sese cumulatè contra Regis immanitatem vlcisci potuerit, nam, cum eius filium Rex Astryages interfectum ad epulandum apponi iussisset, caputq; ei post cenam allatum ostendisset, rogans, cuius fera viscera in mensa comedisset: ille verò nihil præterritus, nec animo vllam in partem deiecto, agnosco, inquit, quid sit actum, ac quicquid Regi placuit, mihi quoq; placere pronuntio: hoc autem immanissimum genus iniuriæ tam diu dissimulauit, quod Cyrum ex Persia in Mediam euocare potuit: quo adueniente, cum exercitus Imperator contra eum à Rege missus esset, & Regnum & Regem illi tradidit: itaq; Astryages in Cyri potestatem, impietatis suæ pœnas daturus, reductus est. O factum omnium gentium ac seculorum memoria dignissimum: ex quo non modò qui dolori cedunt, ad patientiam ac fortitudinem excitentur, sed etiam Reges, quiq; hominibus imperant, ne quid impium, aut indecens audeant, erudiantur: nam aduersus iniustitiam atq; impietatem tantum est odium, tanta inuidia, ut ne ipsum quidem cœlum, aut sydera, etiamsi homines velint, huiusmodi scelera pati ac dissimulare

C

mulare

M. Tullij Ciceronis

mulare possint: ac, si sera Deorum vindicta sit, noluerunt tamen impios ipso in facinore ad eum exultare, ut non angore conscientiae, fraudisq; cruciatu, tanquam domesticis furis, assidue vexentur: tantumq; potest impietatis odium, ut Tyrannum extinctum ac seuisimè excruciatum nemo misereatur, nemo doleat: nam aduersus hoc hominum genus, nec in vlllo praeterea, omnem prorsus vim omnesq; stimulos amittit dolor qui si ratione comprimendus est, quod supra diximus, multò etiam magis consuetudine vincetur: cuius tanta sunt vires, ut non modò perturbationes animi sedare, sed etiam natura vim asserre, eamq; sapissimè immutare, ac penitus aliam possit efficere: cuius auxilio non modò doloris aculei, sed etiam fortuna fulmina depelli ac contemni facile poterunt.

Meditemur igitur, & omninò statuamus, nihil prorsus humanum esse dolendum, non mortem, quam iam optimam esse cognouimus, non egestatem, quae sapissimè maximi boni causa à Dijs immortalibus tribuatur, non exilium, cum orbis terrarum omnibus pateat, non cetera generis eiusdem, quae vulgi opinione grauissimis in malis numerantur: nullum enim tam graue malum apparebit, quin ex eo bonum aliquod multò maius multòq; optabilius magno Deorum beneficio aliquando colligatur. Pleni sunt libri Philosophorum: referta argumentis ac rationibus paginae ferè omnes: tanta autem exemplorum copia, ut nihil possit esse cumularius: quae cum ita sint, quae iam re terreamur, aut
cui-

Consolatio.

cui dolori cedamus? Dion certè, qui è Platonis schola defluxit, cum eius filius in atrium è tecto delapsus interisset, non modò non doluit, sed etiam in eo, quod tùm fortè agebat, constanter perstitit: quo factò iudicauit & vir sapiens, & Platonis discipulus, quid ceteros, qui sapientes haberi volunt, facere oporteat. Ad Traheaspas multò fortius: siquidem filij morientis, cum ferro traiceretur, sine vllò prorsus dolore spectator fuit. Cambyses enim iratus, & ebrius, cum eius filium sagittis peteret, iamq; pectus reclusum appareret, patrem iussit inspicere, num cor percussum esset: cui cum pater respondisset, iam cordi sagittam esse infixam: tùm Cambyses, num quid certam inquit habeo manum? at pater nullo doloris signo dato, nec vsquam conuersa, aut commota facie? ne Apollinem quidem, inquit, certiores sagittas emissurum crediderim. Quid hunc patrem putemus facturum fuisse, si filius in pugna fortiter dimicans occubisset, qui nullius culpæ conscius filium crudelissimè trucidari non doluerit? num credamus, filij mortem honestam, ac pro patria susceptam, tali patri futuram fuisse iucundissimam? Nec tamen dubito permultos fore, qui impium, illum, ac panè viscerum suorum carnificem vocent. Sed faciant sanè vt lubet: dum hoc mihi concedant, exemplum hoc fortitudinis ac deuicti doloris esse præclarissimùm. Quod si ita est, vt infirmos animos spectata ceterorum virtus erigat, & confirmet, quem censeamus iam dolori concessurum, cum tam multos audiat, qui se ipsos in dolore superarint:

M. Tullij Ciceronis

quo circa, tam multa veterum exempla colligere, ve-
reor, ne superuacaneum, aut fortasse putidum vide-
atur: quod si ceteris tantum, & non nobismetipsis, scribe-
remus, fortasse breuiores in scribendo, in exemplis au-
tem recensendis etiam parciores essemus: sed fit nescio
quomodo, vt ex aliorum casibus ad mala nostra sanan-
da medicinam colligamus: nobis quidem ita videtur: &
cum nostro vulnere medeamur, mirari non debebunt
qui hac in manus sument, si quid fortasse paulo expres-
sum vberius inuenerint: illud certe propositum habe-
mus, vt omnibus nobiscum prodesse, omniumq; dolori,
quam accuratissime fieri possit, consolationem asserre
possimus: quamobrem in his enumerandis nostram val-
de imminui atq; alleuari molestiam experimur: cete-
ris idem optamus, ac, si dicere liceat, etiam speramus:
nam in tanta vel argumentorum, vel exemplorum co-
pia, quibus se legentes pene obrui sentient, ecquis se
immobilem, aut in dolore inexorabilem praebeat? *

Desunt nonnulla.

Nec verò ignoro, nonnulla interdum accidere,
quibus ita perturbetur, & opprimatur animus, vt à me-
dicina refugiat: idq; si vllò in casu contingit, certè, cum
dolore affligimur, maximè solet euenire: quid ex eo sit,
quod erepti vel amici, vel affinis, vel filij cogitatio adeò
nobis grata est, quod illum pene ante oculos constituere
videatur, vt, & si dolorem refricet, & lacrimas eliciat,
tamen eam deponere nolimus: ac, si ad consolandum
remedia

Consolatio.

remedia suppetant, tamen nihil minus, quàm conso-
lantium verba, audiamus: falluntur sanè grauius quib
ita agunt: sed hunc errorem, quo magnoperè delectan-
tur sibi extorqueri nolunt. Quare suum unicuiq³ studi-
um, suaq³ omnibus delectatio relinquatur: non enim
vereor, quin, si minus in ipso doloris aestu remedijs uten-
dum homines censeant, certè, cum modicè dolor rese-
derit, ac se paulum quasi remittere cœperit, ad extin-
guendæ doloris reliquias monita præceptaq³ nostræ
adhibeantur: nihil autem vtilius est, quàm hac eadem
in voluptate, ac lætitia pertractare, atq² in manibus
habere: sic enim & legi, atq² ad verbum edisci, & peni-
tus memoriæ mandari possunt: vt, cum in animum pe-
nitus influxerint, tùm exhauriri ac prorsus elabi non
facilè queant: ita fit, vt, cum repente dolor inuasit, tùm
ijs vtamur: quæ nisi antè præcepta, & cognita sint, im-
petu ipso doloris incurrente, planè depelli atq³ excludi
solent: sensimus hoc in nobis ipsis: nec parùm nobis: obfu-
it, hanc vniuersam aduersus dolorem commentationem
non multo ante animo, ac mente percurrisse: quamuis
enim permultos Philosophorum libros vel de luctu,
vel de morte satis accuratè legissemus, vt Theophrasti
Xenocratis, aliorum, quos commemorare nihil attinet:
tamen hoc non ideò feceramus, quòd eueniurum putare
mus, vt ijs ipsis in nostro mœrore vteremur: itaq² neq³
lectionem quantum oportuisset, accuratā, nec memo-
riam satis intentam adhibuimus: casu autem repentino
oppressi, non priùs ad libros confugere potuimus, quin

M. Tullij Ciceronis

antè acerbitalis vi prosterneremur: quanquam postea
tempore ipso factum est, vt dolor nec, vt antea, acrior,
& mens ipsa paullo esset sedatior, & ad medicinam ac-
cipiendam magis idonea. Sed pergamus ad reliqua,
qua nec multa restant, & scitu, ac cognitione dignissi-
ma: fructu autem ipso, quem precipue querimus grati-
ora fortasse, & vberiora. Quid est ergo, quod aliquam
nobis asferre dubitationem possit, cur nihil omnino no-
strorum morte dolere debeamus? credo, si quando nobis
in mentem venit, magnam nos ex eorum, quos amisi-
mus, opera, ac studio utilitatem percepturos fuisse: at
hoc non ad amicos, aut affines, quorum dolere videmur
interitu, sed ad nosmetipsos pertinebit: mercenarius
igitur dolor fuerit, quiq; non ex affinitate, aut beneuo-
lencia sed ex vna proueniat utilitate: quid autem fla-
giciosius, & indignius, quam eum, qui sic doleat, fateri
oportere, cum tantoperè alicuius morte crucietur, quod
aliqua utilitate priuatus sit, si nihil ex eius vita benefi-
cij, ac commodi se consecuturum sperauisset, nihil sibi
omnino dolendum fuisse? At videamus non Persas, aut
Schtas: sed è media ciuitate nostra clarissimos, & præ-
stantissimos viros, ac ciues, qui non modò amicorum,
cum quibus coniunctissimè vixerant, sed etiam libero-
rum, & quidem carissimorum, interitum ita fortiter,
& constanter tulerunt, vt causæ nihil sit, quin eos supe-
rioribus Grecis comparare, atq; etiam anteferre debe-
amus: atq; hoc multò magis in illis mirandum fuerit,
quod in eorum obitu se fortissimos, & constantissimos,
præbuerunt,

Consolatio.

præbuerunt, qui non modò ipsis utilissimi, si vixissent, sed penè soli utiles ac iucundi esse potuissent: quid enim utilius filio? Quid iucundius vnico? at filium, & vnicum Q. Fabius: præterea Consularem, qui iam magnas res gesserat, & maiores cogitabat, amisit: neq; solum non doluit, quod fortissimi animi fuit, sed & mortuo laudationē in foro dixit: quo nihil fortius, aut laudabilius ne ex omni quidem antiquitate recenseri potest: cuius orationem quis non admiretur, insignem ingenij iudicij ordinis præstantia? quo modo ille vel ea, quæ dixit sine luctu dicere, aut, quæ scripsit, sine dolore cogitare potuit? cum præsertim hoc in illa laudatione & admirari, & obstupescere soleamus, quòd non, vt alij, de ceterorum fortitudine disputat, vt suum ipse dolorem aliorum exemplo minuatur, sed in filio herens, illius maxime virtutes, propriasq; laudes, quæ vel acerbiores efficere doloris sensum poterant, longissimo sermone persequitur: quod singularis virtutis exemplum fortasse Horatij Puluilli laudem magna ex parte deminueri videatur: quem tamen summum virum silentio præterire nefas ducimus, cum in eo ipso, quòd filij mortem æquissimo ac fortissimo animo tulit, etiam Iouis Opt. Max. cuius ædem dicabat, gratissimum fecisse videatur: nam Pontifex inter solennium verborum nuncupationem, postem tenens, vt filium mortuum audiuit, neq; manum à poste remouit, ne sacra dirimeret, nec vultum à populo auertit, ne suum potius dolorem, quàm populi utilitatem, ac salutem, cogitare videretur. Iam,

M. Tullij Ciceronis

quid L. Paulo insignius, quid illustrius? qui filios paucissimis diebus duos ita perdidit, ut nullum p[er]nè doloris paulo acrius indicium ediderit: ac potius in ea concione, quam de rebus à se gestis ad populum habuit, letatus est, quicquid populo R. immineret aduersi, totum id in se ipsum à Dijs immortalibus esse conuersum. Cum Sulpitio verò Gallo quis neget actum esse præclarissimè? cuius innocentiam, sapientiam, militarem virtutem, etiam insignis in obitu filij fortitudo illustrauerit: quem ut nunquam lubens tacitum dimiserim, sic ad Catonem properans exsultare videtur animus, & quasi in portum ex horrida tempestate delatus, in sapientissimi viri nomine atq; exemplo conquiescere: neq; enim maiori mihi admirationi esse solent clarissimi hominis res gestæ, ac virtus, non solum in luce patriæ, sed etiam in congressu hostium cognita, quàm fuit illa in filij morte, prætoris designati, in oculis omnium ciuium fortitudo declarata. Atq; horum egregia in domesticis miserijs, atq; ærumnis facinora qui fortiter in ciuitate nostra imitati sint, casusq; fortuna grauissimos patientissimè tulerint, non difficile fuerit oratione complecti: nam & Q. Martius Rex cum vnicum summa pietatis, summaq; virtutis filium amisisset, dolorem prudentia peruicit, & eo ipso die, quo filij rogam spectarat, Curiam ingressus est, Senatumq; iussit conuenire. Crassus verò in eo prælio, quod cum Parthis commisit, occiso filio tantum absuit, ut doleret, ut etiam exercitum increpauerit, quòd vnius militis iactura tantoperè commoueretur,

sur,

Consolatio.

tur, hortatusq; sit, vt patria virtutis memores, pro Re-
publ. fortiter dimicarent, filij mortui vltionem sibi vni
relinquerent. Sed antiquior P. Crassus, vir clarus, &
Consularis, P. Crassi filij mortem & vidit, & modera-
tissime tulit. Nec ab eius laude absuit, ac fortasse Cras-
so praestitit, Cn. Capio, qui Capionem filium naufragio
absumptum ita non doluit, vt eum ne leuiter quidem e
vultu, aut vlla corporis parte commotum e familiaribus
quisquam vlllo pacto senserit. Iam quid Pisones, Scauo-
las, Brutos, Marcellos, Metellos, Lepidos, Aufidios enu-
merem? quorum singuli pluribus amissis filijs, vel vxo-
ribus, vel parentibus nec lugendum existimarunt, &
suam in illorum funeribus virtutem, atq; constantiam
non sibi solum, sed etiam generi, nominiq; Romano glo-
riosam fore putauerunt. Pudet in virorum grauisimis
casibus repetendis longiori vti oratione, cum virorum
maxime peculiaris virtus sit, & in viris efflorescat, ac
vigeat maxime, quamobrem de feminis potius dicen-
dum est, vt, cum eas fortissimas fuisse cognitum sit, tum
pudeat viros a mulierculis virtutis exempla petere, &
ab ijs ea virtute, qua ipsorum propria esse debeat, vi-
deri aliquando superatos: nam, si verum est quod a
Theophrasto alicui proditum memoria mandauimus,
orbem terrarum Theatrum quoddam esse magnum,
diuina mente repletum: & caelestis indicanda sapien-
tia gratia tam multis vndiq; collucentibus ornamentis
illustratum ac depictum: in eo autem medio collocatos
esse homines a Deo, vt cum fortuna, dolore, morbis,

M. Tullij Ciceronis

egestate casibusq³ permultis assidue luctentur: Deum
verò ipsum, quantum quisq³ pugnando valeat, quamq³
viriliter fortitudine diuinitus accepta vtatur, de super
aspectare: hoc, inquam, si verum est, dubitari profecto
non potest, quin, quemadmodum Populus R in mune-
ribus publicis inuisos habet gladiatores, qui omni
modo vitam impetrare cupiunt, fauet ijs, qui contemp-
tum eius praeferunt: itidem Dij immortales, si quos ex
hominibus nimis anxie de vita sollicitos, eiusq³ exitum
detrectantes aspiciant: ijs aliquo modo succenseant: eos
verò & caros habeant, & muneribus prosequantur, qui
si è vita reuocentur ipsi, vel suos reuocari videant, ala-
cres latiq³ Deo pareant, nihilq³ propterea mali sibi ac-
cidisse iudicent: quod si feminas praestitisse intelligen-
mus: cur ijs imbecilliores, atq³ infirmiores videri velint
viri: neq³ solum vnam aliquam è multis feminam, sed
totam gentem, ac nationem, vt marium virtute, sic fe-
minarum eximia quadam magnitudine animi praesti-
tisse accepimus. Laccenas enim matronas traditum
est, occisis filijs vulnera inspicere consueuisse, ac, si ad-
uersos vulneratos esse comperissent, letabundas funus
ducere, eosq³ in auita sepulchra inferre solitas esse:
contra verò, quos auersis vulneribus concisos agnosce-
bant, ab ijs refugientes clam sepeliendos curabant, nec
vllò prorsus honore funeris prosequendos statuebant:
tantum in femineis quoq³ animis decus poterat, & stu-
dium gloriae: qua ex gente etiam illud ad nos pracla-
rum dimanauit, matrem quandam filium, senis con-
fossurum

Consolatio.

fossam vulneribus, intuentem nec ingemere voluisse, nec coronam e capite deponere, sed ad comites conuersam, ita locutam: Quanto pulchrius, & optabilius est, in acie victorem animam efflare, quam in Olympio certamine parua victoria viuere? at alia filium in praelio interfectum audiens, iccirco, inquit, genueram, ut mortem pro patria fortiter occumbere non dubitaret. Quid his feminis facias, aut quo non honore, ac gratulatione dignas putes, quae de patriae dignitate, deq; gloria sollicitae, honestam mortem cuius saluti, ac lucro anteponerent? Age verò, num Lacanis Romanarum virtus inferior? par fortasse, nisi malis etiam superiorem appellare: quam fortis enim, & quam magnifica illa Cornelia vox, quae Duodecimo iam foetu amisso, cum Tiberium & Caium filios interfectos spectauisset, nullo timore perculsa, nulloq; dolore confecta: Nunquam, inquit, ego me non felicem dixerim, quae Gracchos pepererim: fortem verò feminam, & cuius ex veteribus mentis praestantia, ac magnitudine animi conferendam: non enim dolori concessit, sed potius cum virtute vicisset, victrix de dolore triumphum egit. Nihil iam Rutiliam miremur, quae C. Cotam filium in exilium secuta, cum postea reuersum in patriam amississet, nemo eam lacrimantem post elatum funus vidit: pariq; fato Clodia vsa est, quae D. Brutum filium, consularem mortuum superstes vidit, neq; tamen eius obitum non fortiter, & patienti animo tulit: quae virtutis non vulgaria in feminis exempla mirari aliquis possit.

M. Tullij Ciceronis

possit, qui sexus imbecillitatem, ac mollitiem cogitet: at
verò, qui fortissimis genitas parentibus, & fortibus eti-
am auis maioribusq³, prognatas recordatus fuerit, nihi-
lo ab eis minorem vel prudentiam, vel animi magni-
tudinem requirat. Est ergò vlla res tanti, aut commo-
dum vllum tam expetendum, vt, illo amisso ne pruden-
tiam quidem retineamus? quæ si vlla in nobis residet, nos
profectò vel auitæ, vel patriæ virtutis admonet, nec de
Pisonibus, Fabijs, Brutis, Marcellis cogitantes, quos imi-
temur, & à quibus ortum ducamus, immemores esse
patitur. Horum enim armis imperij fines producti
sunt: horum sanguine parata, ac stabilita libertas: ho-
rum deniq³, labore, ac studio Respublica ad tantam per-
uenit siue bellicæ laudis, siue domesticæ virtutis glori-
am: quorum in vestigia pedem ponere oportet qui lau-
dabiliter viuere, quiq³, honestis in actionibus exerceri
volunt, nec vlllo mentis errore ad nimium dolorem atq³
insaniam traduci. Nominauimus externos magnos,
clarosq³, viros: collegimus de nostris plurimos, quibus
mortis sensus non modò ingratus, sed etiam optatus, &
iucundus accidit. Addatur si placet, etiam Therame-
nes, qui veneno epoto, maxima æquitate animi, lu-
dens in morte, quod erat in poculo reliquum, Critiæ
propinauit. Ergò ille in sua morte vir clarus, & sapiens
ludebat, nos in filiorum aut affinium morte lugebimus?
& veterum dicta quotidie legentes, atq³, addiscentes,
praclara ducemus, exempla repudiabimus? aut eam vi-
tam, quæ mortem hanc consecutura est, immortalem,
beatam.

Consolatio.

beatam à miserijs omnibus vacuã, negligemus? quamuis enim nudum corpus, & exanimè discedens relinquat animus, nec amplius liceat homini, qui è vita discedat, suis opibus, bonis, diuitijs perfrui?

Astante, vt ille ait, ope Barbarica,

Tectis calatis laqueatis,

Tamen multo maioribus & bonis, & opibus, quæ nulla vetustas absumet, nulla vis eripiet, piorum mentes assiduè potiuntur. Sed dimittamus & oxempla clarorum hominum, & illorum virtutis impressam historijs memoriam: veniamus ad id, quod vnusquisq; sensu percipit, quantumq; ex morte consequamur emolumentum, ac commodi, re ipsa factisq; probemus: ex qua docendi, ac disputandi ratione perspicuè veritas elucescit, quidq; hoc modo se habeat, vel illo, facile potest perspici. Si quisquam est, qui secundos in omni vita rerum exitus adipisci, & consequi possit, nihilq; timeat aduersi, hunc nemo inficiari poterit, iure dicturum, si vitam sibi morte multis partibus meliorem affirmet: atqui nemo est, qui non modò miseras, atq; erumnas ab humana vita segregare, sed ne semihoram quidem felicem sibi, ac beatam polliceri possit. Metelli sibi fortunam sperant omnes: Priami Sobolem, ac Regnum exoptant alij: quasi non & Metellus tam multos nactus filios, ac nepotes, cum maximè beatus esse posset, inuitus obierit, & Priamum non omni orbatum progenie, summoq; dolore confectum, hostilis manus interemerit. His vitam si mors aliquot ante annis ademisset, è
n. ultis

M. Tullij Ciceronis

multis eos miserijs ac luctibus simul eripuisset: quos
accirco experti sunt, quia vitam diutius, quàm ipsorum
requirebat felicitas, produxerunt: hinc illa miserabili-
ter decantata:

Hæc omnia vidi inflammari,

Priamo vi vitam auferri,

Iouis aram sanguine turpari.

Quæ non modò visu, sed etiam audita acerbissi-
ma sunt: quid putamus misero Regi, qui omnia & vi-
dere, & audire, & experiri coactus est? num ei multo
melius euenisset, si vitam omninò multis ante annis,
quàm hæc acciderent, amisisset? Forsitan quispiam dix-
erit: multa, quæ viuens nactus est, bona, citò decedens
penitus reliquisset, sed à malis etiam multò grauiori-
bus, qualia multa sæcula non viderunt, felicissimè libe-
ratus esset. Ex quibus omnibus, multisq; alijs perspicu-
um est, peruertere homines ea, quæ sunt humana fun-
damenta felicitatis, cum vtilitatem à morte se iun-
gunt, aut cum miseriam cum morte connectunt. L.
Crassum, ex nostra ciuitate clarissimum, & eloquentis-
simum virum, matura mors, quantis è molestis quan-
tisq; incommodis eripuit? nam, quæ in patriam pietate
fuit, ex ijs malis, quæ mortem eius consecuta sunt, in-
credibilem, si vixisset, dolorè accepisset: flagrauit enim
bello Italia, exarsit senatus inuidia, nihil deniq; in ci-
uitate fuit, quod non eius temporis calamitatem luc-
tumq; persenserit. Nam quid fugam Marij, quid cetera,
quæ in illius discessu acciderunt, maximè luctuosa, sum-
meq;

Consolatio.

meq̄, miseranda commemorem? quid reditum illum sanguinarium, cuius ex recordatione nemo est, qui non intimis sensibus exhorrescat: tenemus enim memoria, aut saltem ex patrum scriptis accepimus, crudelissimam omnium eadem illo tempore esse factam, trucidatos bonos viros, & ciues, incisas eorum ceruices, in Rostrisq̄, positas, qui multorum ciuium salutem, ac dignitatem eloquentia peperissent: quàm multos ex illa Reipubl. tempestate commemorare possumus, innocentissimos homines, atq̄, optimos, vt acerbissimam calamitatem effugerent, libertatem morte quasisse. O acerbum, ac nemini non pœnitendū Reipub. statum, conditionemq̄, viuendi: cum eos ipsos, qui Rempub. suo labore, suoq̄, sanguine auxerint, iuuarint, seruarint, nusquam tutos, nihilq̄, magis, quàm propinquorum manus ac gladios, timentes, horrescentesq̄, videas: illorum autem, quorū ope, atq̄, auxilio seruatus sis, cum horribiles: miserosq̄, casus spectes, nulla tamen ratione opitulari, nihilq̄, afferre adiumenti queas: quis neget ijs ipsis, qui hæc intueri cogantur, mortem esse non modò detrectandam, sed etiam optandam? qui autem, ne in horum temporum flammam incidant, mortis beneficio consecuti sint, eos verò beatissimos iurè omnes existimabunt qualem fuisse L. Crassum nisi res ipsa probauisset, nihil esset, cur oratione persuadendam videretur. Sed hæc paullo antiquiora, quàm, vt omnibus in memoriam redigi, ac cogitatione comprehendi possint. Pompeij autem, nostri familiaris, casu quid in ciuitate notius, quid illustrius? aut

M. Tullij Ciceronis

us? aut quid omnium oculis, ac mentibus perspectius, & clarius? hunc, si maturè extinctus esset, nihil doloris, nihil inuasisset mali: quod tam diu in vita mansit, iccirco factum est, ut singularis calamitatis exemplum omnibus præbuerit: cui eo luctuosior fortuna acerbitas visa est, quo felicior, ac secundiore fortuna in omni vita usus erat: quis enim vniuersis ciuibus aliquando carior? quis in toga vel rebus gestis, vel honoribus, extra ordinem delatis, clarior? quis opibus, propinquitatibus, amicitijs florentior? cui nihil prorsus ad summam absolutamq; felicitatem præter honestum, ac iucundum vitæ exitum, deesset. Sed videamus, quantum in rebus humanis fortuna possit iniuria: nisi malimus ad propriam mortalis vitæ nimis asperam, miseramq; conditionem omnia mala reuocare: qui enim amplissimis fortunis usus erat: qui nihil, nisi sublime ac beatum nec cogitare, nec optare consueuerat: cui omnia vel ad usum, vel ad voluptatem supererant, bellum cum socero suscepit: deseruit domum, profugit ex Italia: & cum antea nihil in ceteris bellis, nisi summo consilio, prudentiaq; gessisset, cum vel maximè ingenio, iudicioq; excellere debuisset, sui panè oblitus est: itaq; imbelles, & infirmas copias, tirones collectitiosq; milites cum robustissimis legionibus conferre non dubitauit: & amisso exercitu ereptisq; castris turpissimè victus, in seruorum manus vir summus, & clarissimus incidit: vita verò ut miserabiliter priuatus sit, commemorare nihil est necesse: cum eo ipso, quòd in tam miseram fortunam delapsus,

Consolatio.

Lapsus, vitam citò amiserit, minus fortasse miser censeri
possit: beatissimus autem obiisset, si cum in Repub. flore-
bat, cum valebat auctoritate & gratia, cum copijs opi-
busq; affluebat, è vita decessisset: cuius propagatio
quantum illi mœroris ac luctus attulerit, non modò scri-
bendo, sed vix etiam cogitando consequi quisquam pos-
sit: itaq; hoc stabilito & fixo, mortem sepius beatam
homini contingere, non solum, quòd nos in beatam vi-
tam inducat, sed etiam quòd multarum, magnarumq;
miseriarum sensu liberet, & à futuris vel calamitati-
bus, vel doloribus abstrahat, quid iam relinquetur, cur
non morte letari, ac clarorum hominum virtutem, qui
nullius interitu perturbati sunt, imitari debeamus? An
non optimam beatamq; mortem iudicabat L. Brutus,
cum Tyrannum arcens, quem expulerat, vitam pro ni-
hilo ducebat? item Decy, quo tempore, cum Latinis pro
patria dimicantes, sese hostium telis obiciebant? prete-
rea Scipio, Paullus, Marcellus, Albinus, quos vitam in
acie iuuanda patriæ causa fortissimè profudisse memo-
ria proditum legimus. Et verò nihil fuit, quamobrem
elato excelsoq; animo homines vitam non despicerent,
vt sempiternam gloriam consequi possent: nam cum
nullo, vel certè minimo doloris sensu, quem morientes
perferunt, infinitam laudem commutabant: hunc enim
locum de exiguo, vel nullo potius dolore mortis, quem
suprà perstrinximus, paullo vberius percurramus. Neq;
enim absurdè dixisse mihi videtur is, qui morienti-
um mortuorumq; hominum statum, & conditionem

D duabus

M. Tullij Ciceronis

duabus potissimum ex rebus percipi atq; intelligi posse
affirmauit: quarum vnā somnum statuit, alteram ve-
rò tempus illud, quod nostrum cuiusq; ortum antecessit:
& sanè ita est, vt ex omnibus opinionibus, quarum er-
rore duci vulgus solet, cum de morte loquitur, nulla
planè ad veritatem videatur esse propensior: ita enim
multi viuunt, vt presentibus bonis fruuntur: nec sanè
cogitent, quid paucis post annis vel ipsis, vel ceteris bo-
ni aut mali possit euenire. Itaq; sepe non opinatis
morbis, perturbationibus, angoribus vexantur: mortis
verdè de qua potissimum cogitare debuerant, ita non re-
miniscuntur: vt ad se minimum illam pertinere, nec
sua quidquam interesse existiment, qui, vt Panætius
Africanum dicere solitum tradit, ferociores equos do-
mitoribus tradendos esse, vt paullatim parere, seq; mi-
tiores, ac molliores prabere incipiant: sic ipsi in gyrum
fortitudinis ac patientiæ reducendi sunt, ne, si mors
imprudens oppresserit, perterreantur, planeq; concidant.
Sed nescio quo modo voluptate, luxuq; delinita
hominum consuetudo de recta malorum via deflexit,
eoq; sensim delata est, vt nihil minus, quàm verum, ag-
noscat, nec, cum aliquid agitur, rectum id nec ne sit,
magnoperè cogitet: qua nulla maior pestis, ac pernicies
humanis rebus, valdè iam labefactatis, potuit afferri:
at qui, si in vilo homine, certè in his ipsis vulgare dictum
& verum, & acutè cogitatum esse deprehenditur: quid
enim isti aliud agunt, nisi totos dies per inertiam per-
dunt, atq; ita viuunt, vt stertere potius quàm vilo pacto
viuere

Consolatio.

Viuere videantur: dormiens autem ut nihil sentit, nihil agit, nihil curat: sic mortuus quid agere, quid curare, aut sentire possit, haud sanè intelligas: itaq; in fabulis, quos Dii maximè adamarunt, eos, ne imminentem aliquam calamitatem sentire cogerentur, si vigilassent, à Dijs immortalibus consopitos esse accepimus: mortem igitur, siquidem somno similis est, singulis noctibus induimus, & cum in somno sensus sit planè nullus, nullum etiam in morte futurum esse sensum, verissimè statuere debemus: quod ut sensu ipso planè percipitur, sic ne de altero quidem dubitari vllò pacto potest, quin, quales ante, quàm oriremur, fuimus, tales etiam mortuū futuri simus: mors enim quemadmodum ad eum, quī nondum ortus est, nihil pertinet, sic ne ad eum quidem, qui mortuus est, vlla ratione pertinebit: ad morientem verò vel nihil, vel parum certè pertinet: siquidem tam angusto spacio tamq; breui curriculo coercetur, ut nec si velit quidem, vires suas nimium porrigere, aut explicare possit. Quae est igitur eorum oratio, quī tantum in morte dolorem se timere, atq; expauescere dicunt? quamquam non sanè video, quo modo aliter facere possint: qui enim mortem nunquam experti sint, quam semel homo subiturus est, quo modo, bona mala ne sit, verè sentire ac dijudicare possunt?

Morientes aiunt cruciari, angī, distorqueri: quod in nonnullis fortasse animaduerti, atq; obseruari potuit: in quo tūm isti aliquid dixisse videri possent, si hoc ex ipso mortis sensu penderet: nam, si mors ipsa dolore suo

M. Tullij Ciceronis

corpus vsq₃ ed cruciaret, atq₃ angeret, vt hac doloris eade
dere inditia cogeret ur: negari profecto non posset, quin
dolorem non leuissimum mors ipsa esset allatura. Cum
verò huiusmodi cruciatus paucissimos angat, & eos
maximè, qui intemperanter, flagitiosè, nefariè vixe-
rint, nunc dubitari non potest, quin tales homines non
mors, sed admissorum scelerum conscientia vexet, ha-
beatq₃ sollicitos, qui enim se morituros nunquam cre-
diderint, ac ne cogitarint quidem, cum ad ipsam mor-
tem peruenerint, anguntur, non dolore moriendi, sed
quòd è vita inuiti discedunt: in qua cum omnia secun-
da feliciaq₃ experirentur, ne secus mortuis accidat,
valdè vereri, ac dubitare coguntur. At bonis, qui mor-
tem semper, tanquam presentis tempestatis portum, in
ore ac sermone habuerint, quiq₃ ex huius vita procellis,
mortis beneficio, aliquando egredi, sepius concupi-
uerint: nihil libentius, ac iucundius mentione, ac nomi-
ne ipso mortis accidit. Atq₃ in ijs etiam prestans, pla-
neq₃ admirandum Deorum munus agnoscitur: bonos
enim, & quidem plurimos, non modò cum exiguo do-
lore, vt optare homines vulgo solent, sed omnis planè
doloris experte ex hac vita egressos, sine vlla dubita-
tione reperias: ex quibus Q. Fabius Consulatum adeptus,
cum in Curia pretereuntes salutaret, nihil dolens,
nihil molesti sentiens, immo planè gaudens, è vita dis-
cessit: atq₃ idem contigit A. Pompeio, cum in aede Iouis
Capitolini sacra fecisset, itemq₃ Thalæ Consuli, Dijs
immortalibus supplicanti: quid hos in ipso mortis arti-
culo

Consolatio.

culo doloris expertos existimes, qui paullo antè leti vivebant, & in eo, quo moriebantur, puncto temporis, nihil lugubre testati sint, nihil flebile dixerint? Morte, inquis, oppressi sunt: at sapientissimi, & optimi viri: quibus mortem, tanquam beatæ vitæ initium, Di immortales largiri voluerunt: quam eo fortassè iucundiores ipsis fore videbant, quo minus eo tempore tantum boni exspectauerant, ac ne sperare quidem poterant: nam, cum mors è diuinæ voluntatè tota pendeat, haud sanè in hominis potestate esse possit, quo potissimum die, quaq; conditione mori velit. Nec verū est quod dicitur à quibusdam, mortis eundē omnibus hominibus diem, ac terminum diuinitus esse constitutum: vt autem vel citius, vel seriùs moriamur, singulorum hominum vel intemperantia, vel negligentia contingere: nam, vt illud verissimum est, præfinitum esse vitæ terminum à Deo, quem præterire, aut ex quo egredi nemini liceat, sic illud affirmare nemo possit, eundem omnibus, eademq; hora vitæ finem impendere: quod si agnosceremus, nihil sanè esset, cur homini prudentiam, temperantiam, pietatem, tribueremus: quæ omnes planè virtutes, si hoc consequeretur, non modò inutiles, sed penitus inanes viderentur: cur enim prudentia vteretur homo, cur abstinentia, cur temperantia, si eodem, quo reliqui omnes, temporis spatio vitam esset terminaturus? Vt diutius, inquis: vitam producere liceret: at, si vitæ terminus fatalis est, nec immutari quidem posse necesse est. Sin voluntarius, & in hominis arbitrio positus, nihil est, cur

M. Tullij Ciceronis

eundem omnibus à Deo constitutum esse, quisquam affirmet. Sed de his statuat unusquisq; ut libet: quid autem verius sit, Deus ipse viderit: hominem quidem scire arbitror neminem: stet modò nobis illud, doloris esse nihil in morte: boni autem tantum ex ea ad homines permanere, quantum sperare multi possint, cogitatione quidem assequatur nemo: itaq; hoc diuinitus hominibus datum est, ut quoties molesti aliquid experiantur, tùm mortem exoptent, ac votis etiam conceptis sæpè implorent: quid ita? quia bonam, utilemq; esse mortem, coguntur agnoscere, malam autem, aut acerbam esse nunquam posse, homini à natura insitum est: itaq; dolore perculsi mortem imploramus, eamq; vnã, ut miseriarum malorumq; terminum, exoptamus. Admonet me locus, ut, cum neminem ipsa morte magno perè commoueri debere probatum sit, ijs præcipuè dolendum nihil esse contendam, quo mors cum laude optata consolari potest: satis enim diu vixisse putandi sunt, qui vitam honestè clauserunt: eosdemq; è vita abeuntes non modò laus, sed etiam perpetua voluptas, delectatioq; prosequitur: quæ sanè eo maior in animo exoriri, ac vigere solet, quo latior alicuius in colendo officio, vitæq; honestè ducenda manauit industria: certè enim, cum ad rectè agendum natus homo sit, ideoq; mentis, & rationis munere, præ cæteris animantibus, ornatus, atq; instructus, vnde potius laudem, ac voluptatem, quàm ab honestis actionibus petat? An, vnde orum duxerit, obliuiscatur? ille verò nec sui oblitus est,

qui

Consolatio.

qui rectè vixit, nec iniquo animo mori potest, cum multos relinquat sua testes memoresq; virtutis quanto autem gaudio exultare credendus est illorum animus, qui corporis admistione solutus, in cœlestes ignes, sempiternasq; domos, vnde exierat, reuertit? profectò enim ex diuina mente delibatos habemus animos, qui hac mole inclusi, tanquam terra grauitate, sic ipsi nimio pondere corporis opprimuntur: vbi autem soluti corporibus ad proprias sedes euolauerunt, tum verè viuunt, nec libidini, voluptati, dolore seruiunt, sed sui compotes, nulla re anguntur, nihil requirunt, omnibus impetant. Rectè igitur dictum est, corpus terram esse, mentem autem, ignem de cœlo sumptum: id quod clarorum virorum acta cum virtute vita, præclaræq; actiones facile testantur: quo modo enim aut omnia humana vitæ commoda contemneret, aut voluptates cunctas pro nihilo duceret, aut vitam ipsam laudis honestatisq; gratia profunderet, qui nihil quidquam ad se, præter hæc ipsa mortalia, quæ manibus contrectat, quæ terit pedibus, pertinere cogitaret? verum hæc non ita se habent: corpus enim è terra concretum, tam diu terrestrium rerum amore ducitur quod in terram ipsam, vnde ortum duxit, reuertatur: animus verd, qui è cœlo sumptus est, sempiternum quiddam, & cœleste appetit, nec istis, quibus corpus, sinibus cogitationes coercet suas, itaq; nunquam quiescere, nec verè viuere putandus est, quamdiu corpore conclusus, inuitus propemodum mortali labe, terrenisq; vinculis cohibetur. At illa

M. Tullij Ciceronis

quanti sunt, grauiſſimis vitæ laboribus liberari, in medijs doloribus, & ærumnis obdormiscere, & quasi emissoſ è moleſtiſſima vitæ custodia, in iucundiſſimam, ſuauiſſimamq; domum remigrare? hûc enim pertinent quæ de piorum quiete, deq; voluptate illa, qua egreſſi è vitæ perfrui dicuntur, diſputari à ſapientibus ſolent: qui cum intelligerent, non fortuitò, aut temerè ſatos, & creatos homines eſſe: nec eadem mereri bonos, qui multis exantlatis laboribus vitam in medio dolore amiſſiſſent, & improbos, quorum in patrandis flagitijs ſemper eſt animus cogitatioq; deſixa, iccirco non eundem probis, & improbis vitæ terminum, nec eadem mortuis præmia ſtatuerunt. Quæ nos recordatione potiſſimum reſici, ac recreari decet, qui cariſſimam filiam, optimeq; de nobis meritam ita vixiſſe ſcimus, vt ad optimos mores, ſummamq; prudentiam nihil poſſet accedere, & ita mortuam, vt in dolore, quem ex partu contraxerat, ſummam animi magnitudinem, ſummamq; conſtantiam præſtiterit: cuius mentio nobis, dolore iam, ſi non penitus extincto, certè magnoperè leuato, non ſolum acerba, ſed etiam iucunda accidit: qui enim aliter debet? cum nec ipſi quidquam acciderit mali, nec ego vlla re, quæ tantoperè cum natura congruat, & cum omnibus hominibus communicet, angiantur perturbari debeam. Quid ergò mihi reſtat? nihil ſanè, niſi, cum ea diuino potiſſimum beneficio vitæ munere perfuncta ſit, vt ad eam maximè viuendi conditionem cogitationem meam mentemq; referam, qua

nunc

Consolatio.

nunc ipsam perfrui credimus, ac si, quod æquum est, fieri velimus, etiam intelligimus: qua ex meditatione eo maiorem voluptatem percepturus sum, quo meliore illa nunc statu, quam quem viuens experta est, sine vlla dubitatione perfruitur: quid enim boni non merita est, quæ nihil vnquam egit, ac ne cogitauit quidem mali: & ijs angoribus ac malis, quæ viuenti obiecta sunt, ita patienter perfunctâ sit, vt non secus de aduersis, quam de secundis rebus, Dijs immortalibus gratulari, gratiasq; agere soleret? & cum nihil, nisi rectum, honestumq; cogitaret, tamen vna conscientia contenta, nec sua benefacta in luce collocari, nec sibi quidquam propterea laudis aut gloriæ deberi arbitraretur. Quæ ergo ita animata fuerit, vt de se quidem minimum, de recta mente, ac de æquitate plurimum laboraret, an non Dijs ipsis censemus maximè gratam & probatam fuisse? in qua non ficta, & adumbrata, vt in multis, sed maximè solida, & expressa virtutis elucebat effigies: nam, cum eam talem natura genuisset, vt quod pulchrum, rectumq; agnoscebat, sua sponte sequeretur: tamen eo non contenta, summa virationis, prudentiæq; perfecerat, vt nulla re minus, quam natura duce, egere videretur: itaq; qui eius instituta, & mores paullo diligentius inspexisset, qui regundæ familiæ sollertiam, qui summum in cunctis rebus ingenium, singularemq; doctrinam aduertisset: haud fuisset sanè, quod aut virilem in intelligendis, iudicandisq; rebus prudentiam, aut exquisitam patrisfamilias sollertiam requireret: itaq;

D 5

quibus

M. Tullij Ciceronis

quibus maximè rebus egere sæpè homines solemus, fortitudo & prudentia, hæc ita in muliere abundabant, ut sui mæroris medicinam non peteret foris, sed in se ipsam spectans, ex sua semper virtute penderet. Quanto autem grauiores, ac difficiliore animi morbi sunt, quàm corporis, eò magis mirandum est, talem extitisse illam, cuius fortitudini corporis mala parerent, prudentiæ verò omnes animi morbi facillè cederent: itaque quanquam ex calamitate temporibusq; nostris molestia plurimum traxerit, nunquam tamen animo percussam, aut deiectam sensimus:angebatur patris exilio, totiusq; familia luctum, bonorumq; direptionem inuita videbat: sed matri tamen consilio, prudentiaq; aderat: & rebus in magnum sæpè discrimen adductis, reditus spem nobis asserre nunquam dubitauit: ita, quantum ex calamitate doloris, tantundem ex filia suauitate ac pietate solatiij capiebamus: quod ut esset diuturnius, si commodum nostrum, aut eam, qua omnibus antiquissima est, liberorum charitatem cogitaremus, magnoperè optare debuimus: at, cum illam corporis vinculis solutam, omnibus exsutam miserijs, & immortalitatis compotem factam, animo reputamus, non modò in dolore conquiescimus, sed etiam præcipuè latamur: quid enim mihi accidere latius potest, quàm de immortalitate animorum cogitanti, de filia simul æterna beataq; vita confidere? animos enim esse immortales, ne dubitandum mihi quidem videtur: faciam autem non inuitus, ut sapientissimorum hominum percussuram

Consolatio.

curram hac de re sententiam, quando me in hunc locum deduxit oratio. Neq³ verò hac ita disputanda censeo, vt animos iccirco non interire probari possit, quod mortuorum corporibus vis quadam inesse veneratione digna putetur, quæ significare debeat, non deleri morte animos, sed immortalium animorum, veluti sepulcra quadam, mortalia corpora fuisse: quasi non & maiora, & firmita multa suppetant, quibus planum fieri possit, qui animos simul cum corporibus interire contendat, eum contra rationem, nulla nixum ratione, pugnare: quod si auctoritas quaerenda sit, quem grauiorem nominare auctorem possum, quàm eum quem Apollo ipse sapientissimum omnium pronunciauit? cuius testimonium tale fuit, vt diuinos esse hominum animos, & eos, corpore solutos, in cælum remigrare, vnde prius venissent, in omni sermone asseueraret: in quo cum Philosophis illis consensit, quos quondam Italicos nominauit antiquitas: maximeq³ nobilos iudicauit: quorum semper constans fuit opinio, demitti animos è cælo, diuinaq³ mentis eos esse non solum munus, sed etiam partem præcipuam, ac propriam: quod si secus esse quisquam putet: haud sanè facile, quid multis, & firmissimis in hanc sententiam argumentis respondere possit, inueniet. Sic enim planè cognosci ac sensu ipso diiudicari potest: summam esse penèq³ incredibilem in animis celeritatem ac festinationem, cuius ope, qua corporis non modò certo mensium, sed vix etiam annorum spatium perficere, atq³ exequi pesser, ea ipsi non modò semel puncto.

M. Tullij Ciceronis

puncto temporis percurrere, sed etiam saepius excogitare, & repetere facillimè queant: quod si mirum videretur, cur non admirabilius censeatur, meminisse animum tam multa, innumerabilibus ante saeculis gesta: qua futura sunt, cogitando prospicere, ac non modò presentia, sed etiam praterita, & futura, veluti Deum, omnia complecti, ac sub oculos subycere conari? quis dubitet, cum hac intelligat, eademq; in se ipso agnoscat, diuinum esse animum, nec, si diuina aeterna sunt, ipsum esse mortalem: cum praesertim duabus ex rebus, quae praecipuè in animo sunt, illius aeterna natura facile intelligi ac deprehendi possit: haec autem sunt, motus, qui in eo praecipuus est, principium, ac perpetuitas: cum enim ex seipso moueatur: nec aliunde, vt caetera, principium motus mutuetur, summa autem in eo, quamdiu in corpore est, perpetuitas motus appareat: quippe quae etiam in dormientibus agnoscat, & vigeat: iccirco dubitari nullo modo potest, quin diuinus sit, & sempiternus futurus: & sanè ita esse ratio vincit, & rerum probat exitus. Dei enim imago quaedam animus est, ex ipso Deo delibata, ac profecta: quòd si Deus immortalitate fruitur, cur eam partem, quam ex se ipso sumpsit, mortalem esse velit? quin hoc ipso singularem, & eximiam diuinam esse vim indicandum putauit, quòd non solum ipse immortalis sit, sed etiam, quos velit, suae naturae compotes, & planè immortales efficiat. Corpus autem voluit esse mortale: nec immeritò: cum è terra, cuius mutationi subiecta natura est, initium duxerit,

Consolatio.

duxerit, & in eam ipsam, vitæ cursu confecto, abire debeat. Sed animus profectus à Deo, cœlum ipsum appetit: nam in eum locum, vnde discessit, semper optat redire: terra autem, si cui appetenda, corpori soli est: ac verò animis æterna cœli sedes quærenda, eaq; propria illorum patria: siquidem animorum in terris origo inueniri potest: nihil enim est in animis mixtum atq; concretum, aut quod ex terra natum, atq; fictum esse videatur: nihil ne aut humidum quidem, aut stabile, aut igneum: his enim in naturis inest, quod vim memoriae mentis, cogitationis habeat: quod & præterita teneat, & futura præuideat, & complecti possit præsentia: quæ sola diuina sunt, nec inuenietur vnquam, vnde ad hominem venire possint, nisi à Deo: singularis est igitur quedam natura, atq; vis animi seiuncta ab his vsitatis notisq; naturis. Ita quidquid est illud, quod sapit, quod vult, quod viget, cœleste & diuinum est, ob eamq; rem æternum sit, necesse est: nec verò Deus ipse, qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quedam & libera, segregata ab omni concretionem mortali, omnia sentiens, & mouens, ipsaq; prædita motu sempiterno: itaq; eandem æternitatem animis quoq; nostris, ex seipsa exortis, impartiuit: quorum ex cogitationibus atq; operibus nihil aliud, nisi diuinos esse illos, & sempiternos, colligere possumus: nam si adificiorum magnitudinem atq; ornatum, si monumenta litterarum, si peccunia vim infinitam in res maxime stabiles, & admirandas effusam, si plurimarum maximarumq; rerum

M. Tullij Cicetonis

rerum adæptionem cogitare voluerimus, profectò intelligemus, hac vnquam facturum fuisse hominem, nisi diuturnitatem temporis, ipsamq̃, eternitatem plurimum ad se pertinere existimaret. Iam ipsa gloria cupiditas, honorum sitis, opum ac diuitiarum assidua procuratio, quid aliud indicat, nisi cogitare hominem in posterum, nec eodem vescendi viuendiq̃, studio, quo ceteras animantes duci videmus, humanum animum detineri. Sed hac abiectiora, atq̃, humiliora, nec vllis, nisi sanè angustis nature terminis, circumscripta. Quid illa imprimis grauia, atq̃, præstantia, nec vlli planè in terris degenti, nihil soli homini tributa? contemplatorem esse ipsum cœli, rerumq̃, cœlestium? frui magnarum, obscurissimarumq̃, rerum scientia, que vel ad excolendos ad integritatem, atq̃, innocentiam mores, vel ad comparandam Solis, astrorumq̃, cognitionem, vel ad exercendam in abditis, obscurisq̃, rebus memoriam, mentemq̃, pertineant: nonne hæc ipsa tanta, ac talia, diuinum esse animum ostendunt, nec illius naturam aliunde, quàm è cœlo, delibatam ac deductam? An censemus, si vna cum corporibus animi interirent, aut sapientissimos homines tam æquo animo mori posse, aut tam iniquo planeq̃, inuito stultos & fatuos?

Socratem ferunt, morti proximum, de piorum immortalitate, beataq̃, vita, que mortem consequitur, disputauisse, itaq̃, lato, ac libenti animo letale illud populum hausisse, quasi non ad mortem, sed ad regnum atq̃, imperium vocaretur. At verò, quorum animus in
terra

Consolatio.

Terra defixus haeret: qui nihil, nisi mortale, terrenumq³, cogitant, eos planè repugnantes atq³, inuitos è vita discedere videmus: nec immeritò: cum animorum aternitatem propius iam intuentes, crucientur mirum in modum, quasi flagitiosè actam vitam pena etiam sit immortalis consecutura. Atq³, illud etiam (ò stultum hominem dixerit aliquis & natura sua penitus ignorantum) nemini obscurum esse potest, ex ijs etiam sacris ceremonijsq³, maiorum aeternam hominis vitam facile cognosci, atq³, intelligi posse: neq³, enim illi aut mortuos tanto honore coluissent, aut tam multas tamq³, varias sepulchrorum ceremonias posteris tradidissent, nisi cognitum perspectumq³, habuissent, vigere animum in morte, nec, quanquam corpus occidat, hominem ipsum penitus euanescere: itaq³, statuisse videntur, mortem ipsam non esse humanae vitae confectricem, nec ex ea sequi interitum: sed potius ad aliam multò feliciorē vitam ijs, qui rectè vixissent, ducem optimam solere existere: quicumq³, enim conuenienter naturae vixerint, nec illam secuti sint male consuetudinis corruptelam, quae diuinitus datos igniculos extinguit, vitiaq³, gignit, & confirmat omnia, eos & viuentes gloria, & è vita excedentes praemijs prosequi oportet: id enim non solum rationi consentaneum, sed etiam verissimum atq³, aequissimum est: cui autem aequitatis antiquior cura, quum Deo? itaq³, cum homo solus ex omni propemodum genere nactus sit aliquam notitiam Dei, nisi vitae iniquitate Deo iniquus atq³, inuisus euaserit, ad Deum certè

M. Tullij Ciceronis

certè euolabit: idq̄, eternitatis humanæ vel maximum, ac firmissimum argumentum est, solum hominem diuine voluntatis participem, consciumq̄, existere: vt quamquam agrestibus siluestribusq̄, in locis natus sit, tamen ipsa docente natura, & esse Deum, & colendum ac verendum esse, dubitare non possit. O rem dignam, in qua non modò homines, sed ipsas etiam pecudes obstupescere, ac, si fieri possit, etiam erubescere oporteat: cognatum esse hominem Deo: nullum aliud in terris animal, nisi hominem solum, Dei cognitione imbutum esse: nec quidquam esse aliud, quod animo, è diuina mente hausto, præditum sit: tantamq̄, inesse homini cecitatem, atq̄, socordiam, vt diuinæ cognitionis immemor, auersetur migrationem ad Deum? nec enim aliud esse mors, quàm migratio ad cœlestes superasq̄, sedes, existimanda est: nec id solum ratione quadam æquitati, veritatiq̄, consentaneæ, sed etiam sapientissimorum hominum maximè firmo, stabiliq̄, consensu. Atqui eum, qui hoc pacto viuere, ac pænè à seipso dissentire velit, meminisse certè oportuit, terram ipsam, omniaq̄, quæ sub cœlo sunt, diuina voluntate regi, proptereaq̄, quiddam nobis, quod obseruandum & addiscendum videatur, præscribere: quis ergò terram ipsam, aut quotannis feracem, aut semper optimas fruges, & nunquam malas inutilesq̄, herbas edentem efferentemq̄, vidit? quis animalia semper vberes fœtus edidisse, nunquam sterilitatem passa esse, recordabitur? quod si hæc ipsa secus se habent, nihilq̄, in rebus humanis perpetud firmum;

Consolatio.

firmum, eiusdemque natura optare licet: cur, quam in omnibus & rebus, & animantibus vicissitudinem cernimus, eam ab homine seiungamus? qui si multos annos feliciter vixerit, si sobolem, honores, opes affectus, diu tantis bonis frui potuerit: praeclare secum esse actum verè dixerit. Sed aduersi tamen aliquid subeundum perferendumque relinquetur: demum oppetenda mors erit, quae eo leuior esse debet, quod omnibus communis est, nec cuiquam singularis, aut praecipua. Sed hoc quoque gratior, quod nos à multis erroribus abstrahit, quibus, quoad viuimus, in tanta opinionum varietate assiduamque veri inquisitione perturbari saepe solemus, & ad ipsam cernendam fruendamque veritatem iucunde traducit: quo nihil beatius homini posse contingere satis, ut arbitror, ex eo suspicari possumus, quod innata est homini cupiditas scientiae: eius autem praestantia non sanè video, quae alia in re, nisi in perfecta veritatis cognitione posita sit: ex quo fit, ut veritatis cognitionem assecuti perfecta, absolutaque scientia potiamur: verèque dici potest, qui veritatem intueatur, sensuque percipiat, eum voti sui compotem, verèque beatum esse: quod si beata vita quaerenda nobis est, nec quidquam fugiendum magis, quam ne miseriarum grauitate premamur: quid illo homine stultius, aut stolidius reperiri potest, qui ceterorum morte ita angitur, ut beatae vitae oblitus, miseram atque infelicem consecretur? perfectio enim ita se res habet, ut, nisi mortis, dolorisque timore liberatus sit, etiam si multas cognitas perceptasque virtutes

E

virtutes

M. Tullij Ciceronis

virtutes habeat, rectumq³, & equum omni planè uti-
litati anteponat, beatus tamen esse nemo possit: quid e-
nim aliud dolor est, nisi cruciatus animi, isq³ perpetuus?
quid aliud timor, nisi assiduus inuisarum, ac molesta-
rum rerum metus? at quo modo felix, aut beatus esse
poterit, qui assiduo cruciatu, metuq³ vrgebitur? Quin eo
miserior atq³ infelicior existimari debet, quòd non so-
lùm sibi ipsi molestiam miseriamq³ comparabit, sed in
ceterorum etiam sermonem, ac vituperationem incur-
ret: nihil enim nimio dolore deformius, nihil à viro a-
lieniùs: & si corporis prauitatibus, vituperatio proposita
est, vitijs ipsis, quibus laborat animus, nihil turpitudi-
nis, nihil inuretur infamia? Illa verò & grauiora sunt,
& maiori animaduersione vindicanda, quo nobiliorem,
quàm corpus est, sedem, nempe animum ipsum, occu-
pauerunt: quòd si turpis dolor nimius, & vituperatione
dignius, certè illud consequeretur, vt, qui nimio dolori
seipsum tradat, ne laude quidem vlla dignus censea-
tur: est enim series quedam maximè veritati consen-
tanea, vt sententiarum, sic rerum: & quemadmodum
in sermone disputationeq³ nostra neçtitur aliud ex
alio, ita qui se vna aliqua vel deformitate, vel turpi-
tudine implicari patitur, multis statim miserijs ac de-
formitatibus opprimetur. Nec verò credi velim: me,
quia dolori nimio repugnem, iccirco dolorem omni ex
parte improbare, omnesq³ illius ex animo fibras euel-
lendas existimare: est enim, quatenus homo doleat, &
(quod prudenter à Crantore dictum est,) siue secetur
pars

Consolatio.

pars aliqua corporis, siue auellatur, sensus tamen adesse debet: istuc enim, nihil dolere, fieri non potest, quin quemadmodum feritatem corporis quandam, sic animi stuporem maximum indicet.

Sed nimirum illud est, quod improbamus, dolori nos ipsos ita tradere, ut in aliam fortasse grauiorem ex alia parte vituperationem incidamus: nam quemadmodum qui nihil prorsus doleat, desciscere videatur ab hominis natura, qua morte percussa dolorem ac luctum aliquo modo indicare cogitur: ita, qui dolori nimis indulgeat, humana natura penitus obliuisci, communemq; omnium conditionem recusare iudicabitur: quibus rebus intelligitur, grauius peccare homines, cum vel ea, que omnibus perferenda subeundaq; sunt, detrectare audent, vel, quid ipsos in vita deceat, queq; sequi, aut refugere debeant, non cernunt satis: quod proprium prudentie munus est: quam humanarum actionum moderatricem à Dijs immortalibus esse constitutam, insiciari nemo potest: atq; huic tam preclaro, diuinoq; muneri plane obsistit qui nimio dolore ducitur: non modo enim se ipsum sine vlllo fructu lacrymis, ac tristitia tradit, sed etiam omni plane consilio, ac iudicio vacat: vbi enim ratio, si se dolore auferri sinat: vbi constantia, si sibi ipse repugnet, & in mœrore iaceat? vbi deniq; humanitas, si se hominem esse oblitus, nihil sibi cum morte commune esse contendat? Iam verò illud stultissimum, existimare, que ceteri homines libenti animo subeant, ijs se non esse obstrictum: quid enim? an

M. Tullij Ciceronis

ignorare quisquam potest, quanta inter homines cognatio sit, quantaque similitudo? etenim, nisi hoc verum fateremur, causa nihil esset, cur homo hominem consilio, re, gratia iuuaret, ab hostium impetu, ac lesione defenderet: quod contra videmus accidere: ut qui ab his actionibus auertat animum, non modò in vulgus improbetur, sed etiam inhumanitatis, ac feritatis accusetur: certè enim non è marmore sculpti, aut è robore donati sumus: est in nobis quiddam, quod pietate, misericordiamque moueatur, nec extingui sinat illam, qua Dijs proximi sumus, iuuandi, ac benefaciendi voluntatem: itaque insitum homini, atque innatum videtur, ut, quoties alium hominem quamuis alienum, premi calamitate atque ærumna videat, truciatur animo, nec si facultas suppetat, dimittendam putet illius subleuandi occasionem: quam enim ipse, si eo loco esset, benignitatem sibi impartiri optaret, ea ut in alium utatur, natura tacita quadam voce monere, ac præcipere videtur: quæ igitur sibi euenire posse dubitet, ea si contingant, cur angustæ perturbari velit? aut, cur non potius humana illa esse, & omnibus hominibus præliuia, fateatur? quanto rectius ille, qui hominem se agnoscit, nihilque humani à se alienum putat? itaque, cum hanc ex animis nostris opinionem, mala omnia non esse humana, veluti immitem quandam, & immanem belluam, extraxerimus, profectò minus miserè, minusque sollicitè viuemus: relinquatur enim illa cogitatio, quæcumque accidant, fortiter ferenda esse, nihil posse homini euenire, quo funditus prosternatur.

Consolatio.

prosternatur: idq̄, ita erit, si nobismetipsis non assentabimur, sed veritatem, qua nihil præclarius, præstabilius, vberius esse potest, toto pectore amplectemur: hæc enim illa est: quam affecuti, meliores multò efficiamur, & ad perferenda incommoda, præclaraq̄, peragenda alacriores; cum nihil, nisi quod rectum, & equum est, laudabile arbitramur, nihilq̄, aliud, nisi egregia illa, ex quibus vera gloria nascitur, expetimus.

Ac mihi videor nimis etiam nunc angustè, atq̄, exiliter agere: qui enim latior obijci campus queat, in quo fidentius, atq̄, alacrius exsultare possit oratio? sed faciam impudenter, si medicinam deserens animorum, quam ex omnibus maximè vtilem esse intelligo, ad meam vnius delectationem sermonem omnem, mentemq̄, conuertam. Dolorem igitur nimis acrem ac diuturnum fugiendum diximus: & quidem probabilitè? cum ex eo mala multa, maximeq̄, grauia soleant exoriri: contra verò nihil boni: neq̄, enim dolor ex illis rebus est, in quibus vel ad probandum, vel ad vituperandum, multa & magna contrariarum rationum paria momenta agnoscantur: hoc enim si accideret, agerem verecundius, neq̄, me in eum locum demitterem, vnde nullum planè exitum viderem. Sed quoniam hæc ita se habent, contendo, vincendum esse animum, doloriq̄, acriter obsistendum: siue enim nosmetipsas, siue amicos, siue vulgi opinionem cogitemus, id nobis sine vlla dubitatione faciendum est: at, si ad mortuos ipsos animum traducamus, qui possumus existimare, gra-

M. Tullij Ciceronis

rum illis fore, quod nimio dolore cruciemur? praesertim cum ex eo nihil utilitatis, sed permultum ad nos dedecoris, atque incommodi permanet. Quid igitur eos ipsos à nobis optare, atque expetere arbitremur? nihil sane, nisi ut eos illustri memoria, ac recordatione decoremus. Nemo me lacrymis decoret, ait Ennius: cur? quia voluit viuis per ora virum: quid igitur est causa, cur fletum lacrimas quae recenset? nimirum ea gloria, quam se adhuc viuentem assecutum esse confidebat, eandem igitur ob causam nostrum quoque luctum mortuis ingratum molestumque fore suspicemur, nec aliud eos à nobis quidquam flagitare credamus, quam ut id ipsum illis, quo maxime delectamur, tribuamus: haec autem gloria est, & assidua illorum virtutis recordatio: quam si sermone, laudationeque nostra immortalem efficere liceat, hoc vno de mortuis nos vel optime meritos existimare possemus. Quid, quod eum, qui sic doleat, ut recreari confirmarique non possit, ne diuinum quidem numen horrere, sapientissimi homines prodiderunt? impium autem est, quibus debemus omnia, ijs pessimam referre gratiam: contra vero, qui Deorum voluntati paruerrunt, nihilque se, quod ab illis vltro daretur molestè ferre declarauerunt, eos non solum viuentes praecipua laude ornauit antiquitas, sed etiam è vita egressos perpetuo coluit honore: idque eo studiosius, ac libentius, si quos intellexit cum Deorum cultu exercitationem virtutis, & praecipuam in mortales beneficentiam, coniunxisse: scilicet profectò, ut cetera ferme omnia: quid enim maiori laude

Consolatio.

laude dignum, ex omnibus rebus humanis commem-
rare possimus, quàm eum, qui vitam ducat cum virtu-
te coniunctam, ad Deorum cultum atq; honorem, per-
petuum in homines studium, ac pietatem aggregare?
nec quidpiam tantulum modò in eius animo existere,
quod non vel pietati, vel humanitati, vel deniq; virtuti
sit consentaneum? Nec aliam sanè ob causam perturba-
ri omnem vitam errore inscitiaq; videmus, nisi quòd,
qua in hominis vita precipua esse deberent, pietas er-
ga Deos, in homines beneficentia, virtus in ingenijs ac
moribus, ea ferè omnia negliguntur, eademq; ratione
qua maximè vitare deberemus, ea studiosè expetimus,
cæcoq; impetu ferimur ad illa, quibus vita nostra planè
fera, atq; immanis efficitur: ex hoc fonte cupiditates
insatiabiles exoriuntur, quibus non modò singulos ho-
mines, sed totas familias, & vniuersas funditus euer-
sas ciuitates videmus: præterea seditiones, insidia, dis-
cordia, rerumq; & hominum clades, & interitus: ex
his etiam incredibiles dolores emanant, quibus pertur-
bari vitam, neq; solum insuauem, sed acerbissimam
effici necesse est: quod contra probis virtutemq; aman-
tibus accidit: nam diuina voluntati obtemperantes, ni-
hil in se ipsis, sed in ea se ipsos, ac sua ponunt, & locant
omnia: neminem ledunt: omnes liberalitate, ac benigni-
tate, charitate amplectuntur: nulla re cruciantur: ni-
hil appetunt, omnium vitiorum fracto impetu, cupidi-
tatumq; radicibus ex animo penitus euulsis. Num igi-
tur eos, qui ita vixerunt, vt sibi iucundi, Dÿs grati, ho-

M. Tullij Ciceronis

minibus fructuosissimi extiterint, diuinis honoribus iure dignos maiores nostri censuerunt: eosque cum Dijs immortalibus æuum agere sapientissimus poeta non immerito cecinit. Nec tamen iccirco, quod eorum corpora in cœlum perlata, credere sapienter quisquam possit: quod quia natura non patitur, ut, quod è terra est, alibi, quam in terra maneat, ne credi quidem debeat, necesse est: sed quod eorum animi, tanquam hominum de Dijs immortalibus humanoque genere optimè meritorum, in cœlum putentur elati: quod de Romulo, Urbis nostræ conditore, memoriæ proditum accepimus: quem singulare in genus hominum collatum munus tam præclaræ urbis condendæ, in Deorum numero collocauit: idque eo tempore, quo litteris, & doctrinis homines exculti facile fictum à germano, verum à falso sernebant: ut credi non possit, quidquam illis persuaderi potuisse, quod vllam ficti aut falsi imaginem præferret: sed, quod ille mortalis, eximia virtutis ac beneficentiæ gloria, consecutus est, ut non solum immortalis, sed Deus iudicaretur: id ipsum alijs etiam tributum esse, ut inter Deos recepti putarentur, cum excessissent è vita, annales veterum loquuntur quod & apud Græcos prius contigit, & inde fortasse ad nostros permanauit: nam & Hercules, & Liber, fratres Tyndaridæ, & femina plurima, quibus nunc inter Deos locus esse præcipuus creditur, & hominibus nati, & homines fuerunt. Sed, quod virtute præstiterunt, & ut cæteris ad rectè viuendum, beneque merendum prælucere, laborauerunt,

Consolatio.

rauerunt, idèd eos hominum fama, beneficiorum memor, in concessu, concilioq; cœlestium collocavit: atq; ipsos, quos vocamus maiorum gentium Deos, aliosq; quàm plurimos, quos in Deorum numerum retulimus, hinc à nobis egressos, & in cœlum profectos, facillimum erit agnoscere. Maximum verò argumentum est, quod de illis credimus, id esse verissimum, quod & tantos tot seculorum, doctissimorumq; hominum consensus veritatis vox ipsa esse videtur: & quod tanta, tamq; præclara virtuti, quem alium verè congruentem locum tribuere oporteat, non sanè reperies: quis est autem tam demens, vt, quos innocentia, liberalitate, & singulari quadam ac præcipua virtute Dijs proximos intelligat, ijs seiunctum à Dijs tribuendum locum censeat? & cum hominis animus terrena respuat, ad supra semper feratur: qui non solum tacito natura impulsu, sed voluntate req; ipsa, vt quàm maximè cœlestibus similes essent, præstiterunt, eos licebit ne cœlo esse priuatos? Mibi verò eo iustius in cœlo collocati videntur, quo clarior eorum inter homines vel eluxit liberalitas, vel virtus enituit: quis enim Hercule fortior? quis prudentior? quis ab omni cupiditate remotior? quos ille labores, vt fortiter ageret, & hominibus prodesset, suscepit, & pertulit? aut quid non doloris, & calamitatis exhausti? quis ergò hunc cœlo excludi patietur, cum eius virtuti sempiterna gloria, & laudis paruerit immortalitas? eademq; ceterorum conditio est? quorum alius alio genere virtutis, omnes summis &

M. Tullij Ciceronis

singularibus vel in ipsos Deos, vel in homines meritis
praestiterunt: itaque, tam egregijs eximijq, factis non
infixas plumbo statuas, non arescentes triumphorum
coronas satis diuturna persolvere posse premia iudica-
tum est, sed florentia stabilioraq, munera quaesita sunt,
quibus ornarentur ij, qui virtutem, honestatem, glori-
am, otio, libidini, voluptati, vite deniq, pertulissent.
tamq, id equum est, quam illud decorum, maximeq,
probandum, non easdem improbis sedes, quas bonis, atq,
integris, post mortem esse propositas: intellexerunt
enim ex maioribus nostris complures, qui sapientia
praestiterunt, cum in Dijs aequitas praecipue vigeat, eaq,
in eorum gubernatione appareat maxime fieri non pos-
se, quin nequitiam sceleraq, auersentur, quiq, ea in vi-
ta exercuerunt, eos a se ipsis longissime seiungant:
quod in vulgus edi, verumq, existimari, non modò rati-
oni conueniens, sed utile quoq, imprimis est futurum:
nam, si quid in hominum animis pietatis, si quid religi-
onis inerit, certè ob hanc potissimum causam se à flagi-
tarijs, ac facinoribus abstinebunt, quod impios, ac nefarios
homines à Deorum concilio, ac societate arceri iudica-
bunt. Nec enim omnibus ijdem illi sapientes arbitrati
sunt eundem cursum in coelum patere: nam vitijs, &
sceleribus contaminatos, deprimi in tenebras, atq, in
caeno iacere docuerunt: castos autem animos, puros, in-
tegros, incorruptos, bonis etiam studijs atq, artibus ex-
politos, leni quodam ac facili lapsu ad Deos, id est, ad
naturam sui similem, peruolare: quod si ita est, certè
nobis

Consolatio.

nobis quantum conniti animo possumus, quantum diligentia consequi, contendendum atq; elaborandum est, ut ne ab ijs segregemur, quorum est proprium vita frui sempiterna, ac beata: quod efficere qui voluerit (omnes autem velle debebunt, qui seipsos diligere, convenienterq; naturæ volent vivere) nunquam committet, ut, quæ cateris exitiosa fore crediderit, ea ipse persequatur: neq; enim in spem venire poterit, aut ignoraturos esse Deos quæ ipse agat, cum diuinam naturam nihil præterire credibile sit, aut illa probaturos, à quibus non modò Dii, sed etiam sani homines abhorreant: quid enim turpius libidine? quid tetrius auaritia? quid detestabilius crudelitate? quæ quamuis in hominibus aliquando existant, tamen ab hominis natura tam aliena sunt, quam humanum illud erit, si omnia nobis bona omniaq; commoda expetamus: atq; in hoc comprimenda sunt cupiditates, quibus trahimur per sepe ad ea, quæ virtuti aduersantur: quod facillimè perficiet, qui tam gloriosi facinoris exitum secum ipse assidue cogitabit: tantaq; est huius cogitationis suauitas, ut, quod libenter, alacriterq; agimus, etiam sine labore peragamus: idq; in præstantibus, laudisq; appetentibus hominibus facile cernitur: quorum tanta esse solet vel in obeundis prælijs, vel in agendis causis, vel in contentionibus pro Republ. suscipiendis alacritas, tantaq; virtus, ut quod in ijs rebus periculi aut laboris est, aut non sentiant, aut pro nihilo ducant: magnum enim est contententis, & ad gloriam anhelantis animi fomentum, magnam

M. Tullij Ciceronis

magnum solatium, spes futura, ac propinqua siue utilitatis, siue gloria: neq; id solum in magnis, sed etiam in leuioribus laboribus, ac studijs: quos enim cursus, quos venatio delectat, eos quamuis de via fessos, ac penè exanimes videas, nunquam tamen minus alacres, minusq; concitatos animaduertas. bonorum cupiditas quid non in nostra ciuitate laboris, quid non sollicitudinis, negotijq; faceßit? quotus tamen quisq; est, qui se vel labore defatigatum, vel pressationis molestia, curaq; confectum audeat dicere? sic, quorum oculos virtutis splendor occupauit, gloriæq; studium animos deleniuit, nec laborem sentiunt, & sitantus est, ut aliquando erumpat, eo tamen non magnoperè mouentur: toti enim in eo sunt, ut prosint patriæ, immortalémq; sibi nominis memoriam comparent: quam si quis negligendam ducat, omnemq; hominis felicitatem rectè factorum conscientia metiri velit, is certè diuinos honores, qui claris viris tributi consueuerunt, nunquam negliget: etenim de Dijs ipsis, qui eosdem sibi honores asciuerunt, pessimè iudicasse videretur: tanta autem eorum, qui huiusmodi consuetudine delectati sunt, & sapientia, & equitas agnoscitur, ut dubitari non possit, quin, ipsi quod egerunt, à certa ratione profiscatur: quales numerare Lacedæmonas possumus clarissimos, & fortissimos viros, qui ciues suos, mortem pro patria obeuntes, diuinis honoribus afficere solebant. Quid verò illa, omnis planè doctrina, omnisq; sapientiæ parentes Athenis? nonne Codrum Regem suum, ob pietatem

tatem

Consolatio.

Patem in patriam, meritaq; illa, quibus excelluit, magno consensu in Deos retulerunt? Atq; haud scio an rectè senserint viri doctissimi, quorum ea fuit opinio, viros claros, & fortes iccirco Deorum immortalium honore consecratos, ut incitaretur virtus acrius, & acuerentur vehementius ad obeunda pericula qui patria amore, studioq; tenebantur: vera enim virtutis merces gloria est, nec quidquam est aliud, quo magis ad rectè, honesteq; agendum praestantis animi homines incendantur: quod optimè agnouit, ac diutissimè retinuit, omnium litterarum praeclara custos, & alitrix Gracia: qua multos habet virtutis gratia factos ex hominibus Deos: quorum alios fatentur novos: alios multis iam seculis receptos in caelum, consecratosq; contendunt: quàm multi autem sint, qui reconditas eorum scrutantur litteras, nosse fortasse possunt. Neq; verò hæc à me idè copiosius disputantur, quod eos temerè, neq; satis consideratè tam multos consecratos esse credi velim: cum eos ipse quoq; vererer, Deorumq; loco habendos putem: sed potius, cum tot apud omnes panè gentes immortalitate, diuinisq; honoribus affecti reperiantur, ut exacuam bonorum mentes ad ea promerenda, quæ sapientium iudicio ducuntur amplissima: nihil enim praestantius, aut beatius accidere homini potest, quàm eo loco donari, in quem ut ascenderent Urbis nostræ conditores, nullum periculum, nullum laborem, nullum deniq; certamen pratermiserunt, ac si priuata utilitatis, & comodi habenda ratio est, nullam aliam experere, aut optare

M. Tullij Ciceronis

optate vir sapiens, & eruditus, prater hanc vnam, debet. Tempia verò publicè vota, & dedicata, quantum in vulgus dignitat is, quantum habent gloria? cum omnes, qui Deos illos, quibus Tempia vouentur, publicè colunt, fateri cogantur, & fuisse homines, & ad Deos, diuinosaq; honores, vna virtute fretos, ascendisse. Nec mirandum est, Deos illos publicè coli eorumq; delubra, & Tempia angustè, sanctèq; exornari, qui vel patribus nati sunt Dijs, vel matribus: nam, quemadmodum eorum cultus & sanctus, & religiosus est, maximeq; pietati atq; equitati consentaneus, sic admirationis, aut dubitationis nihil habet: totus enim ex natura oritur: vt iure ipso natura, qui Deo satus, vel Dea editus procreatusq; sit, Deus esse debeat: at verò, qui homine patre, vel mortali matre natus est, hunc esse Deum, & magnum quiddam videri potest, & dubitandi occasionem, nec fortasse ineptam, multis asferre solet: non enim, si eximius talium virorum virtuti tribuatur honos, quin id iure fiat, aut dubitare, aut negari quisquam potest: sed quod tantam virtutis esse vim velimus, vt vel natura ipsa eius vnus ope immutetur, hoc illud est, de quo querere doctiores viri non immeritò soleant: quibus ita responsum est, non immutari virtute naturam: nec enim id, sine prioris naturæ corruptione, posse euenire: sed, eadem in illis manente natura, euolare animum ad Deos, & in eorum adscribi concilium, cum immortalis sit, & immortalitatis diuinæ participes: corpus autem, suapte natura mortale, manere in terra,

Consolatio.

Terra, quodq̄ terrenum est, nullo pacto suam exsuerē
posse naturam, vt alienum induat: quamuis enim hac
ipsa questio per obscura videri soleat, nec omnino pro-
cliues, aut faciles habeat explicatus: tamen, nisi aucto-
ritatibus contra rationem pugnetur, non incommodè,
opinor, à nobis exposita censerī potest. Et quoniam, quæ
in hoc genere præcipua, cognituq̄ digna sunt, persequi-
mur omnia, (volumus quidem certè) prætereundum
non est, quales, quamq̄, multæ virtutes, erudiendorum
hominum gratia, sint honore Deorum immortalium
consecrata: cuius rei finis est, publica vtilitas: vt, quo ho-
nore virtutes ipsas decoratas videant, eundem se con-
secuturos esse homines sperent, si iisdem virtutibus ex-
cellant: quo in genere multum boni est in imitatione:
libenter enim ea imitantur, & persequuntur multi, ex
quibus alios illa eadem, quæ ipsi appetunt, consecutos
vident: atq̄, ex eo plerunq̄, accidit, vt multis in rebus,
quas antea nec cogitauerant quidem, cum ad clarorum
virorum imitationem se contulerint, multorum vigeat
industria, quæ cum paullo manauit latius, quantos pro-
gressus, quantaq̄, acquirat incrementa, nihil necesse
arbitror commemorare: constat enim inter omnes, quæ
præclara ducuntur, ea ferè omnia à tenuibus initijs
sumpsisse exordium: quod paulatim, imitatione pro-
grediente confirmatum, ita increbuit, vt ne augeri qui-
dem, aut exaggerari magis posset: quod si vlla in re
gratum nobis atq̄, optatum esse debet, certè in comple-
tendis prouehendisq̄, virtutibus non video, quid esse
possit

M. Tullij Ciceronis

possit optatius: siquidem ex his informatio pendet, edu-
catioq; vitæ: quæ cum rectè instituitur, atq; excolitur,
incredibile dictu est, quantos quamq; vberes iniusti-
tiae, integritatis, omnisq; amplissima laudis fructus asse-
rat. Sed, cum virtutes multæ merito colantur, quod &
ipsæ cultu dignæ sint, & multæ ab ijs ad vniuersum ge-
nus hominum utilitates proueniant: quid sit, cur bestia
quoq; ipsæ ab Aegyptijs ferme omnes consecratæ sint,
scire sanè velim: sit Piscis in cultu, ac Deorum opinione
apud Syros, homines nec tanta ingenij acie præditos,
nec tantis doctrinarum præsidijs instructos, vt, hæc in-
epta, ridiculaq; esse possint agnoscere. Aegyptij verò,
omnibus affluentes eruditionis, & scientiæ laudibus,
quo modo in tam inanem, tamq; absurdam delabi opi-
nionem potuerint, equidem intelligere vix possum:
quid enim? an boues, canes, lupos, feles, pisces in Deo-
rum numero habebimus? & quos nobis natura præsidij,
auxilijq; causa animantes genuit, eos per insitiã Deos
iudicabimus: quibus nihil foedius, obscenius, lutulentius
ne natura quidem ipsa viderit. Etiam ne animalium
monstra illa, à quibus hominum generi præcipua in-
commoda inferuntur, crocodilos, aspidas, serpentes, ce-
teras feras, & immanes belluas, in Deorum nume-
rum referemus? quid erit aliud, naturam inuerrere, &
ima summis, summa infimis commutare? & cum tan-
tam in his imperitiã, barbariamq; agnoscamus, ta-
men ne ista penitus inania pertinaciter defendemus?
Eademq; insitiã capas, allia fructus ceteros, qui oriun-
tur è

Consolatio.

Cur è terra, in Deorum numero reposuit Aegyptus: quæ
haud scio, cur longiori oratione refellere sit necesse: in-
credibilis est enim eorum absurditas, ut nulla esse possit
aut pertinacia, aut imperitia tanta, qua non ista asper-
netur atq; refugiat. Imbres autem, nimbi, procella, si à
nostris consecratae sunt, id antiquissimis Populi Roma-
ritibus, ac caeremonijs receptum, & confirmatum est:
qua tolli, aut perturbari, cum & satis firmaratione ni-
tantur, & usu iam ipso confirmata, & approbata sint, si-
ne nefario scelere non possunt. Grecia verò, quam pau-
llò ante laudibus ornavimus, hoc loco non sanè laudare
possumus, quæ Cupidines, & Amores satis audacter, &
temerè in Gymnasijs adibusq; publicis consecrarit: quid
enim Cupidini, aut Amoribus cum Gymnasijs? aut, quid
ea consecratio vel ad considerandum, vel ad imitan-
dum asferre potuit honestatis: aut boni? nihil enim te-
merarium nihil insipiens in Deorum consecratione es-
se debet, nec, quod vllam vel leuissimam aut turpitudi-
nis, aut vllius omninò imprudentia suspicionem asferat:
quales videri possunt eorum consecrationes, quorum in
rebus probitati, pudoriq; contrarijs numen esse, poten-
tiaq; creditur. Qui ergò ad hominum vitam vel adiu-
uandam, vel excolendam, atq; exornandam aliquid
attulerunt, quiq; virtutibus, rerumq; gestarum gloria
praestiterunt, eos nemo dubitet, iure Deos habitos, diui-
noq; cultu affectos esse.

Neg; ego vllò pacto auderem hoc primus prode-
re: non enim tam studiose qua laudari possunt, appeto,
quàm

M. Tullij Ciceronis

quàm reformidare ea soleo, ex quibus possit aliquid vel
leuioris culpa redundare. Cum verò & mares, & fe-
minas complures in Deorum numero esse videamus, &
eorum in vrbibus, atq; agris augustissima templa vene-
remur: assentiamur eorum sapientie, quorum ingenijs,
& inuentis omnem vitam legibus, & institutis ex-
cultam, constitutamq; habemus: tantis enim ducibus ab-
errare non possumus, nec à nobis, sed ab illis ipsis, quos se-
quimur, rei tam iusta ac debita ratio reposcetur: iure
enim fecisse putandi sunt, qui ne quem virum, aut fe-
minam præclarè meritam debito honore spoliarent, eo-
rum memoriam sanctam venerandamq; esse volue-
runt: nos autem iniuste ageremus, si, quos pari cultu
venerationeq; dignos cognouimus, eos pateremur silen-
tio præteriri. Neq; hoc de te vna, mea Tullia, dictum
volumus, cuius exstabant virtutis, prudentie, doctrine,
continentie, ad omnem eternitatem impressa vestigia,
sed de ijs omnibus, quos tali honore dignos aut ipsi vidi-
mus, aut futuro tempore posteritas intuebitur. Nunc
autem de te loquar, quam ego non amissam, aut mihi
penitus ademptam, velim dicere: cum illucescat, mentis
meæ quotidie magis præclarissima nominis tui, tua-
ramq; virtutum gloria: vigebris autem memoria, quàm
diu monumenta exstabant illa, quibus eximia con-
signata sunt tam excelsæ laudis testimonia: quæ sempi-
terna fore, cum præstantissima sint, planè considerare de-
bemus. Tibi igitur nunquam me debitum persoluisse
officium putabo, nisi de me optimè meritam, quem exi-
miè co-

Consolatio.

mihi coluisti, ac de patria, quam semper ornasti, supremo honore decorauero. Id autem facile consequar, cum is locus, quem tibi delegi, sempiternam habiturus sis religionem: nostra vero si qua erit ex ea re consolatio, que magna certe erit: aut, si qua laus ex paterna pietate: nihil certe iucundissima acciderit: nihil enim aliud vel audire, vel memoria repetere libentius possum, quam me in eam, quam summè dilexerim, summeq; diligendam merito suo censuerim, quam maximè piam, gratumq; esse: cum præsertim in alienos, quia de se optimè erant meriti tam prolixos liberalesq; sese, & maiores nostri, & exteri præbuerint. Quod si vllum vnuquam animal consecrandum fuit, qualia multa consecrauerunt Aegyptij, quod nullum profectò fuit: si Cadmi, aut Amphitrionis progenies, aut Tyndari in cælum tollenda fama fuit: huic idem honos certe dicandus est: quod quidem faciam, teq; omnium optimam doctissimamq; approbantibus Dijs immortalibus ipsis, in eorum cœtu locatam, ad opinionem omnium mortalium consecrabo. Tu ergo in eo ipso fano, quod ad nominis tui memoriam, ac cultum votum, dedicatumq; est, & laudari te, & coli senties: maximè autem letaberis in eo, quod & eum tibi, quem maximè debui, honorem persoluerim, & me simul iniquissimo fortuna imperio penitus exsoluerim: nosti enim, quam semper alacri fortiq; animo cunctis casibus restiterim: vt ne me quidem, pulsum patria, omniq; planè dignitate spoliatum, tam acris impetu frangere, ac deicere fortuna potuerit.

M. Tullij Ciceronis

Cum inimicis autem quanta contentione decertaue-
rim, quæq; mea fuerit in ijs refutandis, frangendisq;
virtus, & constantia, norunt omnes, qui varios ciuitatis
nostra casus curiose notauerunt. Cum verò, Tullia, te
mihi extremo loco fortuna ademisset, tum equidem
intellexi, quantum illa in rebus posset humanis, quan-
taq; aduersus me ipsum vi, ac potestate niteretur: itaq;
nihil habui, quod dicerem, nisi, cedo, & manum tollo,
cum tam grauis accepto vulnere, planè dolore percul-
sus, atq; afflictus essem. Nunc autem & preceptis sapi-
entia aduersus omnem fortuna vim confirmatus, & te
consecrata, in cœlumq; recepta, tanta affectus volupta-
te, ac letitia, quantam animo capere maximam possum
exultare planè videor, victorq; de fortuna, ac de omni
prorsus dolore triumpho. Tu ergò, quando me insignis,
& excellenti tuarum laude, memoriaq; virtutum, tam
praclarè iuisti, nunc ab hominibus seiuncta, non me
deserens, sed aliquando respectans, perduc ed, vbi tua
tandem colloquutione conspectuq; fruatur: vt & parenti tu
amantissimo, quàm potissimum optare debes, gratiam
referas, & ego multò mihi gratiorem, multoq; iu-
cundiorum congressum nostrum futurum
intelligam, quàm insuauis,
& acerbis digressus
fuit.

DE

DE CONSO-

LATIONIS LIBRO EDITO
SVB CICERONIS NOMINE ANTO-
nij Riccoboni Iudicium; ad Hierony-
mum Mercurialem Medicum Cla-
rissimum, & Comitum per
illustrem,



FTIISTI A ME,
HIERONYME MER-
curialis, Vir præcullen-
tissime, vt de edito
Consolationis libro
sub nomine Ciceronis
meam tibi sententiam

aperirem, cumq; respondissem, suspica-
ri me, cum Ciceronis non esse, egisti
mecum, vt causas scriberem suspicionis
meæ, de quibus colloqui cum domi tuæ
coepissemus, interpellantibus ægrorum
nuntijs, qui ad te, tanquam ad Apolli-
nem concurrunt, statuere nihil potue-
ramus. Quamobrem feci non inuitus,
vt aliquot meas ea de re coniecturas his
litteris consignarem: non solùm quia
tantum tibi debeo, vt omnia, quæ te

F 3

velle

M. Tullij Ciceronis

velle intelligo, omninò mihi præstan-
da sint: verum etiam quia pro ea, quæ
in te est, ingenij, ac doctrinæ præstantia
eorum omnium, quæ scripsero, tu opti-
mus esse iudex poteris: & tua, quæ in
præclaris litterarum studijs maxima
est, auctoritate decernere, verus ne, an
Adulterinus habendus sit hic ipse de
Consolatione libellus. Quemadmo-
dum enim non desunt quidam impro-
bi homines, qui quasi artem quandam
factitant supponendi falsa testamenta
pro veris, testamentorum subiectores,
& testamentarij nuncupati: Ita nonnul-
li reperiuntur, qui lucelli sui causa, ut
lectorem inducant hiantem, libris
quandoq; etiam ineptissimis veterum
scriptorum nomina præponere non
verentur, quos ad exemplum testamen-
tariorum fortasse eleganter librorum
subiectores possumus appellare: ex qua
improba subiectione libri Anaximenis
Lampfaceni de ratione dicendi ad A-
lexandrum Aristotelis nomine ornati
sunt: pro Cornificio ad Herennium Ci-
cero nominatus est: duæ inter se con-
trariæ

Consolatio.

rariorum orationes Salustio, & Ciceroni
tributæ sunt, alioquin ab ignaro quo-
dam declamatore compositæ: alia non
pauca recentiorum opera, quæ longum
esset omnia commemorare, clarissimis
veterum nominibus illustrata sunt, in
quibus fortasse est hæc sub Ciceronis
nomine divulgata Consolatio. Et,
quemadmodum quidam quæ sunt ali-
orum, sibi assumunt, & pro suis impu-
denter audent venditare, ac quandoq;
etiam sub duobus nominibus eadem
vendere non erubescunt: sic alij, quæ
sunt sua, aliorum signant nomine, quò
sint vendibiliora. Id quod fortasse eue-
nit huic libro, qui Ciceronis Consola-
tio inscriptus est. Ac nemini quidem
est dubitandum, Ciceronem, cum an-
no Urb. septingentesimo octauo post
victum Pompeium, gerente bellum in
Hispania Cæsare contra Pompeij libe-
ros, Tullia eius filia ex partu obiisset,
iam à P. Cornelio Dolabella dimissa,
cui post Pisonem, & Furium Crassum,
dem nupta fuerat, semetipsum, vt phi-
losophum, quantum potuit, consola-
latum

M. Tullij Ciceronis

atum esse eo libro, quem Consolatio-
nem, vel de luctu minuendo inscripsit,
cuius fragmenta collegit Vir nostri or-
dinis Clarissimus, Carolus Sigonius:
sed, cum huiusmodi libro propter iniu-
riam temporum careremus, dici non
potest, quantum superiori proximo an-
no à grauissimis quibusdam Viris mihi
gaudij allatum sit, cum affirmatum est,
cum Venetias esse, vt in lucem, atq; as-
pectum hominum proferretur, vsq; a-
deò, vt etiam meis in hoc clarissimo
gymnasio auditoribus ea de re publicè
sim gratulatus, maximamq; de præcla-
ro opere concitauerim expectatio-
nē, ac nihil antiquius habuerim, quàm
vt impetratis, quæ procurabantur, pri-
uilegijs, ipsum, de quo sæpè quærebam,
diuulgaretur, & ad manus meas perue-
niret. Hac autem, quæ edita est, Consola-
tione quamprimùm perlecta, vt verum
fatear, tanta suspicione commotus sum,
vt non potuerim apud eosdem audito-
res meos non profiteri, tantum abesse,
vt existimem eam Ciceronis esse, vt nec
Ciceroni quidem congruenter, tum
rerum,

Consolatio.

rerum, tùm verborum habita ratio,
ne fictam arbitrer. Quamobrem non
solùm vt tuæ, Vir clarissime, obtempe-
rem voluntati, verum etiam, vt audito-
rum meorum, quibus id pollicitus sum,
seruiam vtilitati, coniecturas meas pri-
mùm de rebus deinde de verbis declara-
bo, atq; hinc Deo benè iuuante aggredi-
ar. Verba Ciceronis sunt libro quarto
Tusculanarum disputationum: Aegri-
tudinis sedatio & hesternæ disputatio-
ne explicata est, & in Consolationis li-
bro, quem in medio (non enim sapien-
tes eramus) mœrore, & dolore con-
scripsimus: quodq; vetat Chrysippus ad
recentes quasi tumores animi remedi-
um adhibere, id nos fecimus, naturæq;
vim attulimus, vt magnitudini medici-
næ doloris magnitudo concederet. Hic
locus à Sigonio citatus in fragmento-
rum explicatione occasionem dedit
auctori Consolationis huiusmodi
principium faciendi. Quanquam re-
centibus morbis medicinam adhibere
vetant Sapientes. Quod principium si
fecisset Cicero, verisimile est eum in

M. Tullij Ciceronis

Tusculana disputatione fuisse id significaturum, vt solet, ac scripturum in hunc ferè modum: Quodq; vetat Chrysippus, vt in eius libri principio scripsimus, ad recentes quasi tumores animi remedium adhibere. Quare, quod est illius disputationis proprium, non videtur fuisse Consolationis libro tribuendum. Accedit, quòd quemadmodum Cicero nonnullam rationem Chrysippæ sententiæ significauit dicens, se naturæ vim attulisse, atq; innuens id Chrysippum vatasse, quia à natura id refugeret: sic in hoc principio huiusmodi sententia cum esset contra illud, quod ore omnium contritum, ac peruulgatum est, Principijs obsta, serò medicina paratur, videbatur esse aliqua probatione munienda, iuxta illud Aristotelis libro secundo artis Rethoricæ: Nam de controuersis, aut de ijs, quæ sunt præter opinionem non sine epilogo vti sententia oportet: sed aut præponendo epilogum loco conclusionis, vt si quis diceret: Ego quidem, quoniam neq; inuidiæ subijci, neq; ignauum esse oportet,

Consolatio.

oportet, nego eruditioni operam dan-
dam esse: aut dicendo prius hoc priora
subijcere. De ijs autem, quæ præter opi-
nionem non sunt sed obscura, adijcien-
do quamobrem, concinnè. Idem tradit,
cum aliqua probatione sententias dici
etiam contra ea, quæ in ore multitudi-
nis sunt posita, vt: Non oportere, vt a-
iunt, amare tanquam osurum, sed tan-
quam semper amaturum: insidiatoris
enim alterum est: &: Non placet mihi,
quod dicitur, Ne quid nimis: oportet e-
nim malos nimio odio habere. Melius
igitur fecit Plinius, qui in epistolis sen-
tentiam suam similitudine declarauit
in hunc modum: Vt crudum vulnus
medentium manus reformidat, deinde
patitur, atq; vltro requirit: sic recens a-
nimi dolor Consolationes reijcit, ac re-
fugit: mox desiderat, & vehementer ad-
motis acquiescit: Melius Ouidius, qui in
sententia sua rationem inclusit sic:

Quis matrem, nisi mentis inops, in
funere nati.

Flere vetet: non hoc illa monenda
loco est.

Iam

M. Tullij Ciceronis

Iam huius Consolationis auctor pro recentibus quasi tumoribus animi nominavit simpliciter recentes morbos, pro remedio medicinam, pro Chrysippo sapientes: satis eleganter: sed, quod scriptum est in Tusculana sine vlla mentione libri de Consolatione, in suum videtur librum transtulisse: quemadmodum etiam accepit modum nominandi librum Crantoris ex Ciceronis Lucullo. Cum enim vidisset hæc ipsius Ciceronis verba: Legimus omnes Crantoris veteris Academici de luctu: est enim non magnus, verum aureolus, & vt Panætius Tuberioni præcipit, ad verbum ediscendus libellus: cumq; illud inseruisset fragmentum, quod Sigonius omisit, Patritius post Sigonium fragmentorum inuestigator, & explicator, ex Plinij præfatione collegit, id est, Crantorem sequor, addidit in hunc modum: Cuius legi breuem illum quidem, sed verè aureum, & vt Panætio placuit ad verbum ediscendum de luctu librum. Præterea non nihil adiecit in inferendo altero fragmento, quod
Lactantius

Consolatio.

Lactantius bis citat libri tertij capite decimo octavo: primùm sic: Quæ ignorantia effecit, vt quosdam dicere non puderet, idcirco nos esse natos, vt scelerum poenas lucremus: deinde sic: Quid Ciceroni faciemus, qui cum in principio Consolationis suæ dixisset, luendorum scelerum causa nasci homines, iteravit id ipsum postea, quasi obiurgans eum, qui vitam non esse malis plenam putet. Hic verò nouus auctor agens de Crantore sic inquit: Humanæ vitæ incommoda ita diligenter, & accuratè expressit, vt quasi luendorum scelerum causa nasci homines, & in hanc lucem ingredi possis agnoscere. Addidit ergò vocem Quasi, quam non videtur Lactantius fuisse omissurus, si in verbis Ciceronis fuisset: quamq; ipse creditur à Sigonio accepisse sic scribente: Miseras hominum mihi videtur deplorasse, qui quasi luendorum scelerum causa in hanc vitam prodierint: atq; addidit illud & in hanc lucem ingredi, tamquam glossema illius vocis Nasci. Cum verò ageret de conditionibus ætatum mirè senectutem

M. Tullij Ciceronis

senectutem vituperavit: quod si fecisset Cicero, de ea re in libro de senectute, quem paullo post scripsit, se excusasset, ubi ipsam senectutem magnis laudibus extulit, & à quatuor illis accusationibus defendit: quòd auocet à rebus gerendis: quòd corpus faciat infirmum: quòd priuet omnibus ferè voluptatibus, quòd haud procul absit à morte. Solet enim Cicero diligenter cauere, ne sibi ipse quodammodo aduersari videatur. Itaq; in libro de amicitia, cum Scipionem Africanum in eo felicem celebraret, quòd senectutis molestiam minimè expertus esset (mortuus enim est, cum eius ætas septenos octies solis anfractus, reditusq; conuertisset: id est sex, & quinquaginta annos confecisset) de ipsa senectute moderatè egit in hunc modum: Senectus, quamuis non sit grauis, vt memini Catonem vno anno antequam mortuus est, mecum, & cum Scipione differere, tamen aufert eam viriditatem, in qua etiam nunc erat Scipio. Iam apparet, quanta cautione Cicero progrediatur: quam sine dubio non adhibuisset,

Consolatio.

hibuisset, si quam senectutem maximo-
perè vituperasset, paullo post sine vlla
excusatione laudasset. Obseruari autem
potest, Ciceronem ferè semper in po-
sterioribus libris cum quædam repe-
ret, quæ in prioribus commemorasset:
id aliquo modo significare solitum es-
se, vt præter alios multos libros, quos à
se conscriptos varijs de rebus ipse cita-
uit etiam in prima Tusculana testatus
se egisse de animorum natura in Con-
solatione: & se vitam hominum deplo-
rasse in eo libro, in quo se ipsum, quan-
tum potuit, consolatus est: & in tertia
Tusculana se in Consolatione collegis-
se Maximum, Paullum, Catonem, ali-
os: & ferè se omnia genera consolandi
in Consolationem vnam coniecisse.
Quod cum de multis, quæ sunt in hoc
libro, in prima Tusculana postea scrip-
ta, vbi eadem leguntur, factum non sit:
videtur fieri posse coniectura, potius il-
la ex Tusculana in hanc nouam conso-
lationem, quam ex veteri consolatione
in Tusculanam tralata esse. Sed si id ali-
quem non mouet, quod potuerit Cice-
ro de

M. Tullij Ciceronis

ro de eadem re in duobus, vel pluribus libris agere, etiam sine vlla mentione repetitionis, at saltē mouere debebit locorum cum parua mutatione, & magna plerumq; deprauatione multitudine: quorum multa libet conferre, vt ingeij in effingendo Cicerone se exercētis magis appareat imitatio. In Tusculana sic legitur: Sacerdos aduecta in fanum precata à Dea dicitur, vt filijs præmium daret, quod maximum homini dari posset à Deo: post manē inuentos esse mortuos. In Consolatione sic: Argia Sacerdos, quod optimum filijs esset, à Dea præcata, eos reperit mortuos. In Tusculana Trophonius, & Agamades, cum Apollini Delphis templum exædificassent, petierunt, quod esset optimum homini: post eius diei diem tertium mortui sunt reperti: iudicauisse Deum dicunt, & eum quidem Deum, cui reliqui Dij concessissent, vt præter cæteros diuinaret, mortem esse optimum homini. In Cons. credamus fanē Apollini Delphico, qui exoratus à Trophonico, & Agamede, à quibus
templum

Consolatio.

templum magnificè Apollini exædifi-
catum Delphis erat, vt, quod esset opti-
mum homini, tribueret, post diem ter-
tium exanimés sunt inuenti: quo mu-
nere iudicauit Deus, & Deus is, cui diui-
nitatis partes à reliquis Dijs sunt relictæ,
mortē homini omnium rerum esse op-
timā. Vbi obiter illud notari potest, A-
pollini exædificatū, pro ipsi exædificatū.
In Tus. Fertur etiā de Sileno fabella que-
dam: qui cum à Mida captus esset, hoc ei
muneris pro sua missione dedisse scribi-
tur: docuisse regem, Non nasci hominē
longè optimum esse: proximum autem
quā primum mori. In Consolationi-
bus ex quo intelligi licet, non nasci lon-
gè optimum esse, nec in hos scopulos
incidere vitæ: proximum autem, si na-
tus sis, quamprimum mori, & tanquam
ex incendio effugere fortunæ. Sileni
quæ fertur fabula, si grauioribus ludicra
interdum admiscere liceat, idem certè
confirmat, qui captus à Mida, missio-
nem doctrina redemit: docuit autem
regem, nunquam nasci optimum esse,
sed celeritatem mortis proximè acce-
dere.

G

dere.

M. Tullij Ciceronis

dere. Lactantij verba sunt, libri tertij capite decimo nono: Hinc nata est inep-
ta illa sententia, hanc esse mortem,
quam nos vitam putamus, illam vitam,
quam nos pro morte timeamus. Ita pri-
mum bonum esse, non nasci: secundum
citius mori: quæ vt maioris sit auctori-
tatis, Sileno attribuitur. Cicero in Con-
solatione: Non nasci, inquit, longè op-
timum, nec in hos scopulos incidere vi-
tæ: proximum autem, si natus sis, quam-
primum mori, tamquam ex incendio
effugere violentiam fortunæ. Sigonius
addidit dictionem, Et, vt legendum sit,
& tamquam ex incendio effugere vio-
lentiam fortunæ. Patritius ex vetustis
libris Lactantij deleuit vocem, Violen-
tiam, corrigens sic: Et tamquam ex in-
cendio effugere fortunæ. Vt correxit
Patritius, eodem modo legitur in hoc
libro: cumq; ex Lactantio apud Cicero-
nem in Consolatione legeretur, Non
nasci longè optimum in Tusculana ve-
rò, Non nasci hominem longe opti-
mum esse: in hac noua Consolatione
vox, esse, quæ in veteri non erat, ex Tus-
culana

Consolatio.

culana tralata est. In Tuse. Qua est sententia in Cresphonte vsus Euripides:

Nam nos decebat, coetus celebran-
tes domum,

Lugere, vbi esset, aliquis in lucem
editus,

Humanæ vitæ varia reputantes ma-
la:

At qui labores morte finisset graues,
Omnes amicos laude, & lætitia exc-
qui.

In Cons. Idemq; Euripidis testi-
monio Poetæ sapientissimi comproba-
tur. Vitata est recitatio versuum, vt i-
mitatio magis occultaretur. In Tus. Si-
mile quiddam est in Consolatione
Crantoris: ait enim Terinæum quen-
dam Elisiam, cum grauer filij mor-
tem mæreret, venisse in Psychomanti-
um, quærentem, quæ fuisset tantæ cala-
mitatis causa: huic in tabellis tres hu-
iusmodi versiculos datos:

Ignaris homines in vita mentibus
errant.

Euthymus potitur fatorum munc-
re læto.

M. Tullij Ciceronis

Sic fuit utilius finire, ipsiq; tibiq;

In Conf. Sed Crantor noster patri filij mortem ægerrime ferenti responsum ait datum esse in Psychomantio, filio suo benè, beateq; esse, utiliusq; futurum fuisse, si etiam patet pari ratione fatis concessisset. Vbi obiter noto illud filio suo, pro filio eius: quod quàm latinè, facile est iudicare. Si enim legatur filio suo, id videtur referendum ad Crantorem, vt filius Crantoris intelligatur non eius de quo loquebatur Crantor. Sed in huiusmodi libro alia sunt fortasse minus latina, de quibus inferius. In Tusc. Cato autem sic abiit è vita, vt causam moriendi nactum se esse gauderet. In Conf. Itaq; Cato sic è vita discessit, vt lætaretur, causam se nactum esse moriendi. In Tusc. Theramenes cum coniectus in carcerem triginta iussa tyrannorum venenum vt sitiens obbibisset, reliquum sic è poculo eiecit, vt id resonaret, quo sonitu reddito, ridens, Propino, inquit, hoc pulchro Critiæ, qui in eam fuerat teterrimus. In Conf. Theramenes veneno epoto
maxima

Consolatio.

maxima æquitate animi, ludens in
morte, quod erat in poculo reliquum,
Critiæ propinavit. In Tusc. Priamus si
viviis filijs, incolumi regno, occidisset,

Astante ope barbarica

Tectis cælatis, laqueatis.

Utrum tandem à bonis, an à malis
discessisset? In Conf. Nec amplius liceat
homini, qui è vita discedat, suis opibus,
bonis, diuitijs perfrui,

Astante ope barbarica,

Tectis cælatis laqueatis.

In Tusc. Metellus ille honoratus
quatuor filijs: at quinquaginta Priamus
è quibus decem, & septem iusta vxore
nati in vtroq; eandem habuit fortuna
potestatem sed vsa in altero est: Metel-
lum enim multi filij, filix, nepotes, nep-
tes in rogam imponerunt: Priamum
autem tanta progenie orbatum, cum in
aram confugisset, hostilis manus in-
teremit. In Conf. Metelli sibi fortunam
sperant omnes: Priami sobolem, ac reg-
num exoptant alij: quasi non & Metel-
lustàm multos nactus filios, ac nepo-
tes, cum maximè beatus esse posset, in-

M. Tullij Ciceronis

uitus obierit:& Priamum non omni or-
batum progenie, summoq; dolore con-
fectum hostilis manus interemerit.

In Tusc. Nectàm flebiliter illa cane-
rentur:

Hæc omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam euitari,
Iouis aram sanguine turpari.

In Con. Hinc illa miserabiliter de-
cantata:

Hæc omnia vidi inflammari
Priamo vi vitam auferri,
Iouis aram sanguine turpari.

Mutata est vox Euitari in vocem
Aufferri.

In Tusc. Mors quidem si timere-
tur, non L. Brutus arcens eum reditu ty-
rannum, quem ipse expulerat, in præ-
lio concidisset: non cum Latinis decer-
tans Pater Decius, cum Etruscis filius, e-
tiam cum Pyrrho nepos, se hostium te-
lis obiecisset: non vno bello pro Patria
cadentes Scipiones Hispania vidisset,
Paulum Aemilium Cannæ, Venufia
Marcellum, Latini Albinum, Lucani,
Grachum. In Conf. An non optimam,
beatamq;

Consolatio.

beatamq; mortem iudicabat L. Brutus, cum Tyrannum arcens, quem expulerat, vitam pro nihilo ducebat? Item Decij, quo tempore cum latinis pro patria dimicantes sese hostium telis obijcebant? Præterea Scipio, Paullus, Marcellus, Albinus, quos vitam in acie iuandæ Patriæ causa fortissimè profudisse memoriæ proditum legimus? Errat Imitator, dum scribit Decios cum Latinis, pro Patria dimicantes sese hostium telis obijcisse, cum vnus tantum Decius pater pugnans contra Latinos se deuouerit, filius autem contra Etruscos, at nepos contra Pyrrhum: quos idem Cicero commemorat libro secundo de finibus, scribens eorum primum se deuouisse, & equo admissio in mediam aciem latinorum irruisse: alterum patris factum imitatum esse quarto consolatu suo, cum aduersus Etruscos pugnavit: tertium illius nepotem, & huius filium cum Pyrrho bellum gerentem consulem cecidisse in prælio, seq; è continentem genere tertiam victimam Reipu. præbuisse. Errat præterea, dum vnum

M. Tullij Ciceronis

Scipionem nominat, cum duo à Cicerone significantur, quos idem libro tertio officiorum appellat fortasse viros, & in Catone maiore dicit, iter Pœnis vel corporibus suis obstruere voluisse. Anno enim ab V. C. quingentesimo quadragésimo primo P. & Cn. Scipiones, cum adhuc Asdrubalem, ne in Italiam tenderet, retinuisſent iam definiendo bello agitantes, à Mercenarijs Celtiberis deſerti cæſi ſunt, de quibus legi poteſt epitoma Liuij vigésima quinta: De illis autem, quos nominauit Cicero, prætermiſit imitator Gracchum, forteſe propter hiftoriæ ignorationem, ob quam cauſam poterat etiam omittere Albinum: Nam alia exempla ſunt notiffima In Tuſc.

Nemo me Lachrymis decoret, nec funera fletu.

Faxit. cur? volitu viuui per ora virum.

In Conf. Nemo me lachrimis decoret, ait Ennius, cur? quia volito viuus per ora virum. In Tuſc. Ex hoc, & noſtrorum opinione Romulus in Cœlo
cum

Consolatio.

cum Dijs agit æuū, vt famæ assentiens
dixit Ennius. In Cons. Quod de Romu-
lo vrbis nostræ conditore memoriæ
proditum accepimus: quem singulare
in genus hominum collatum munus
tām præclarè vrbis condendæ in Deo-
rum numero collocavit. In Tusc. Et a-
pud Græcos, indeq; prolapsus ad nos, &
vsq; ad oceanum Hercules, tantus, &
tām præsens habetur Deus, hinc Liber
semele natus: Eademq; famæ celebra-
te Tyndaridæ fratris, qui non modò ad-
iutores in prælijs victoriæ populi Rom.
Sed etiam nuntij fuisse perhibentur.
Quid? Ino Cadmi filia nonne Leuco-
thea nominata à Græcis, Matuta habe-
tur à nostris? Quid? totum prope cœ-
lum, ne plures persequar, nonne hu-
mano genere completum est? Si verò
scrutari vetera, & ex his ea, quæ scripto-
res Græciæ prodiderunt, eruere coner:
ipsi illi maiorum gentium Dij qui ha-
bentur, hinc à nobis profecti in cœlum
reperientur. In Cons. Quod, & apud
Græcos prius contigit, & inde fortasse ad
nostros permanavit. Nam & Hercules,

M. Tullij Ciceronis

& Liber fratres Tyndaridæ, & feminæ plurimæ, quibus nunc inter Deos locus esse præcipuus creditur, & hominibus nati, & homines fuerunt. Sed, quod virtute præstiterunt, & vt ceteris ad rectè viuendum beneq; merendum, præluce-
rent, laborauerunt, ideò eos hominum fama, beneficiorum memor, in concessu, concilioq; celestium collocavit: atq; ipsos, quos vocamus maiorum gentium Deos, aliosq; quàm plurimos, quos in Deorum numerum retulimus, hinc à nobis egressos, & in coelum profectos facillimum erit agnoscere. Quid? quòd non solum ex prima Tusculana, sed etiam ex alijs vndiq; locis egregius Imitator nonnulla sumsit? vt ex tertia Tusculana, & ex vltima epistola libri noui familiarium illud, quamuis paulisper immutatum: Cicero ille:

Quem adspectabant, cuius ob os Graij ora obuertebant sua, & ex primo libro officiorum illud: Vos etenim iuvenes animum geritis muliebrem: Illaq; virgo viri, & ex oratione pro Archia Poeta illud, aliquantulum itidem
commu-

Consolatio.

commutatam: Cum ad eum veluti ad agrum optimum cultura, ratio etiam accesserit, conformatioq; doctrinae, & ex somnio Scipionis illud, in suum vsum conuersum: In caelestes ignes sempiternasq; domos, vnde exierat reuertit. Qua leni immutatione vsus nonnullos etiam recentiores imitatus est, atq; inrer ceteros M. Antonium Murc-tum virum admirabili ingenio, atq; eloquentia praeditum, & earum artium, quae ad humanitatem pertinent, lumen fulgentissimum, cuius verba sunt in praefatione, quam habuit in quartam Catilinariam: Quid iam illos turbines, illas procellas, illas tempestates ciuili-um dissensionum commemorem: quibus non vnus, aut alter praecclarus, & salutaris Reip. ciuis perculsus est, sed ipsi acerui, ipsa millia immortalitate dignorum hominum nefarijs consceleratissimorum manibus trucidata iacuerunt: o acerbum illud, & vel Romani nominis hostibus miserabile spectaculum: cum passim per vias immanium gladiatorum in principes ciuitatis debachaba.

M. Tullij Ciceronis

bachabatur furor: cum qui aliquando
Reip. præsidio fuerant, eis nullum in ci-
uitate præsidium reperiebatur: cum
quorum eloquentia ipsis gloriæ, alijs
admirationi, Reip. salutis fuerat, eorum
ex illis ipsis Rostris, è quibus tam sæpè
concionati erant, capita sanguinolenta
pendebant. Nihil potest dici eleganti-
us, nihil oratoriè magis: quem clarissi-
mi viri locum ante oculos habebat,
cum sic præclarus imitator, quamuis lo-
ci amplitudinem minimè attingens,
scripsit: Quid fugam Marij, quid cetera,
quæ in illius discessu acciderunt, maxi-
mè luctuosa, summeq; miseranda com-
memorem? quid reditum illum sangui-
narium, cuius ex recordatione nemo
est, qui non intimis sensibus exhorres-
cat? Tenemus enim memoria, aut sal-
tem ex patrum scriptis accepimus, cru-
delissimam omnium cædem illo tem-
pore esse factam, trucidatos bonos vi-
ros, & ciues, incisas eorum ceruices, in
Rostrisq; positas, qui multorum ciui-
um salutem, & dignitatem eloquentia
peperissent. Quàm multos ex illa Reip.
tempestate

Consolatio.

tempestate commemorare possumus,
innocentissimos homines, atq; opti-
mos, vt acerbissimam calamitatem
effugerent, libertatem morte quæsisse?
ô acerbum, ac nemini non pœnitendū
Reip. statum, conditionemq; viuendi:
cum eos ipsos, qui Remp. suo labore, su-
oq; sanguine auxerint, inuenerint, ser-
uauerint (hoc ex somnio Scipionis or-
dine præpostero, vbi legitur. Qui patriã
conseruauerint, adiuuerint, auxerint)
nusquam tutos, nihilq; magis, quàm
propinquorū manus, ac gladios timen-
tes, horrentesq; videas: illorum autem,
quorum ope, atq; auxilio seruatus sis,
cum horribiles, miserosq; casus spectes,
nulla tamen ratione opitulari, nihilq;
afferre adiumenti queas. In qua imita-
tione noto etiam illud, quod in verbis
Mureti est immutatum, nemini non
pœnitendum Reipu. statum quod for-
tasse minus latinè dictū est. Nam tamet-
si in epistola tertia libri septimi ad Att.
sic legitur: Tantum abest, vt meam ille
sententiam moueat, vt valdè ego ipsi,
quod de sua sententia decesserit, pœni-
tendunt

M. Tullij Ciceronis

rendum putem: ob quem locum videtur dici posse: Puto nemini non poenitendum esse status Reipub. vel quod talis sit status Reip. scilicet vt Grammatici loquuntur per gerundium: tamen dicere poenitendum statum, vt Græci dicunt Ametameleton, an congruat, aliorum sit iudicium: Idem Muretus in eadem præfatione: Illæ omnium laudandarum artium, ipsiusq; adeo humanitatis parentes Athenæ. Imitator: Illæ omnis plane doctrinæ, omnisq; sapientiæ parentes Athenæ. Muretus quoq; in ea oratione, quam habuit in libros Ethicorum: Non singulos modo perdidit homines, sed integras funditus afflixerunt, & euerterunt ciuitates: Imitator quoq;: Non modo singulos homines, sed totas familias, & vniuersas funditus euerfas ciuitates videmus. Hactenus de ijs, quæ hic excellens Imitator in suam transtulisse Consolationem videtur. Qua in re, tantum abest vt cum reprehendamus, vt magna potius laude efferendū existimemus, dummodo nobis concedatur, legitimam esse nostram.

de

Consolatio.

de edita Consolatione suspicionem: etiam si in eam ad fallendum magis inserta sint omnia, quæ ex Ciceronis Consolatione citantur fragmenta, alioquin suspicionem augetur ex eo, quòd eodem ordine, quo à fragmentorum investigatoribus edita sunt, inserta sint, & ex præscripto eruditissimi Sigonij, qui ex paucis fragmentis iudicio, ac coniectura assequi, quantum potuit, conatus est, quale fuerit argumentum, atq; adeò etiam artificium totius libri, adornata, ac multis connexis redintegrata, & conformata: id est, præter illa tria, quæ superius notauimus, etiam quartum, quod citat Lactantius libri tertij capite decimo quarto: Sed nescio qui nos teneat error, aut miserabilis ignoratio veri: & quintum omnium pulcherrimum & maximum, quod legitur in prima Tusculana: Animorum nulla in terris origo, & quæ sequuntur: & sextum, quod est apud Lactantium libri tertij capite decimo nono, qui sic scribit: Quod adeò verum est, vt idem Tullius in Consolatione non easdem sedes incolere iustos, atq;

M. Tullij Ciceronis

atq; impios prædicauerit. Nec enim omnibus inquit, iidem illis sapientes arbitrati sunt, & reliqua. Quæ Lactantij verba Ciceronis sententiam explicantia ipse imitator in suam recepit Consolationem paulisper, vt est eius institutum, immutata ad hunc modum: Non easdem improbis sedes, quas bonis, atq; integris, post mortem esse propositas. Et septimum, quod nonnullam etiam mihi suspicionem affert. Etenim Lactantius libri primi capite decimo quinto ita totum coniunctim recitat: Cum verò & matres, & feminas complures ex hominibus in Deorum numero esse videamus, & eorum in vrbibus, atq; agris augustissima delubra veneremur, assentiamur eorum sapientiæ, quorum ingenijs, & inuentis omnem vitam legibus, & institutis excultã, constitutamq; habemus. Quod si vllũ vnquam animal consecrandũ fuit, illud profectò fuit, Si Cadmi, aut Amphytrionis progenies, aut Tyndari in cælum tollenda fama fuit, huic idem honor certè dicandus est, quod quidem faciam. Teq; omninò optimam

Consolatio.

timam doctissimamq; approbantibus
Dijs immortalibus ipsis in eorum coetu
locatam ad opinionem omnium mor-
taliu[m] consecrabo. Hæc Lactantius. I-
mitator verò multa interiecit, & ad il-
lud: Omnem vitam legibus & institutis
excultā, constitutamq; habemus, multa
adiunxit, sic scribens: Tantis enim duci-
bus aberrare non possumus, & quæ se-
quuntur omnia vsq; ad illud: Quòd si
vllum vnquam animal. Quæ interposi-
tio significat hoc opus non esse Cicero-
nis, cum in opere ipsius Ciceronis nulla
verba essent interiecta, si Lactantio cre-
dimus, & qui sequuti sunt Lactantium,
optimis fragmentorum inuestigatori-
bus, & explicatoribus Sigonio, ac Patri-
tio. Vltimum fragmentum citat quoq;
Lactantius libri tertij capite vigesimo
octauo, scribens in hunc modum: Iam
quicunq; alios consolati sunt ob interi-
tum, amissionemq; charorum fortunæ
nomen acerrimis accusationibus pro-
sciderunt: nec omninò vlla eorum dis-
putatio de virtute est, in qua non fortu-
nā vexetur. M. Tull. in sua Consolatio-

H.

ne

M. Tullij Ciceronis

ne pugnasse se semper contra fortunam loquitur, eamq; à se esse superatam, cū fortiter inimicorum impetus retudisset: nec tūm quidem se ab ea fractum, cum domo pulsus patria caruit: tūm autem, cum amiserit charissimam filiam, victum se à fortuna confitetur. Cedo, inquit, en manum tollo, quid hoc homine miserius, qui sic iaceat? Ex quibus Lactantij verbis satis apparet, cum Cicero se consolatus esset, eum tamen fortunæ cessisse, & apertè confessum esse, se à fortuna superatum fuisse. Quod si verum est, vt tam verum esse, quàm quod verissimum existimo, videat imitator, quomodo illud scripserit de Cicerone: Exultare planè videor, victorq; de fortuna, ac de omni prorsus dolore triumpho. Iam omnibus Ciceronis fragmentis, quæ ex eius Cōsolatione citata sunt, diligenter consideratis, alia quædam perpendamus. Illud in primis faciebat Cicero in Cōsolationis libro, vt multorum clarissimorum virorum exempla recenseret ad mitigandum acerbissimum casum suum. Quod ipse testatur
in

Consolatio.

in quarta Tusculana ad hunc modum:
Quid, qui non putant lugendum viris?
Qualis fuit Q. Maximus, efferens filium
Consularem: qualis L. Paullus, duobus
paucis diebus amissis filijs: qualis M. Ca-
to, Prætoꝛe designato, mortuo filio:
quales reliqui, quos in Cōsolatione col-
legimus. Apparet quoq; ex Di. Hiero-
nymo in Epitaphio Nepotiani, quæ Ci-
cero exempla collegerit: cuius sanctissi-
mi viri verba etiam à Sigonio citata
placet hîc adscribere, quia ad proposi-
tum nostrum pertinere maximè vide-
antur. Legimus, inquit, Crantorem,
cuius volumen ad confouendum dolo-
rem suum sequutus est Cicero. Plato-
nis, Diogenis, Clitomachi, Carneadis,
Possidonij ad sedandos luctus opuscula
percurramus, qui diuersis ætatibus di-
uerforum luctum vel libris, vel epistolis
minuere sunt conati, vt etiam si no-
strum areret ingenium, de illorum pos-
set fontibus irrigari. Proponunt innu-
merabiles viros, & maximè Periclem,
& Xenophontem Socraticum: quorum
alter amissis duobus filijs coronatus in

M. Tullij Ciceronis

concione differuit: alter cum sacrificans
filium audisset occisum, deposuisse co-
ronam dicitur, & eandem capiti repo-
suisse, postquam fortiter in acie dimi-
cantem reperit concidisse. Quid me-
morem Romanos duces, quorum vir-
tutibus quasi quibusdam stellis latinæ
micant historiæ? Pulvillus Capitolium
dedicans, mortuum, vt nunciabatur, su-
bitò filium, se iussit absente sepeliri. L.
Paullus septem diebus inter duorum
exequias filiorum triumphans urbem
ingressus est. Prætermitto Maximos,
Catones, Gallos, Pisones, Brutos, Sca-
uolas, Metellos, Marcios, Crassos, Mar-
cellos, atq; Aufidios, quorum non mi-
nor in luctu, quàm in bellis virtus fuit:
& quorum orbitates in Consolationis
libro Tullius explicauit: ne videar poti-
us aliena, quàm nostra quæsisse. Cum i-
gitur testetur Di. Hieronymus in operi-
bus ad sedandos luctus compositis vi-
ros innumerabiles proponi, quos imi-
temur, affirmat tamen, Periclem maxi-
me, & Xenophontem commemorari:
ac verisimile est ex ordine temporum
primùm

Consolatio.

primùm Periclem, deinde Xenophon-
tem laudatum fuisse, quo ipso ordine
Di. quoq; Hieronymus nominavit. Nã
prior fuit Pericles, qui etiam prior mor-
tuus est anno quarto Olimpiadis octo-
gesimæ septimæ; posterior Xenophon,
qui obiit anno primo Olimpiadis cen-
tesimæ quintæ. Tamẽ hic nouus auctor
ordine præpostero prius egit de Xeno-
phonte, quàm de Pericle: cumq; simul
egerit de Anaxagora, obseruandum est,
Ciceronem de eodem facere mentio-
nem in tertia Tusculana his verbis: Eu-
ripides fuerat auditor Anaxagoræ, quẽ
ferunt, nuntiata morte filij, dixisse: Scie-
bam me genuisse mortalem. Nihil ta-
men ipsum Ciceronem dicere, quo o-
stendat, de eo se egisse quoq; in Conso-
latione, vt de Romanis fecit in quarta
Tusculana. Præterea ex viro sanctissi-
mo intelligitur Romana exempla, quæ
collegerat Cicero, fuisse, Puluillũ, Paul-
lum, Maximum, Catonem, Gallum qui
in libro de amicitia nominatur Caius,
cum fuerit C. Sulpitius Gallus, Pisonẽ,
Brutum, Scæuolam, Metellum, Marci-

H 3

um,

M. Tullij Ciceronis

um, Crassum, Marcellum, atq; Aufidiū:
nec plura exempla collecta esse, quia il-
le non addiderit, & alios: cuiusmodi
verba additurus fuisse sine dubio vide-
tur, si non omnes, quos legisset, vir Ci-
ceronis studiosissimus, enumerasset. Ta-
men hic nouus scriptor non solū in-
ter externa exempla celebrauit Harpa-
gum, Dionem, Præxaspē, quorum pri-
mum, & tertium apud hunc auctorem
corruptè Traheaspam appellatum He-
rodotus nominat, quæ exempla mihi
non est certum à Cicerone fuisse tracta-
ta: verum etiam de Romanis, relicto
temporum ordine in exornando Q. Fa-
bio ante Puluillum, præter eos, qui ab il-
lo enumerati sunt, meminuit Cœpionis,
& Lepidi, & C. Cottæ de quibus se dubi-
tare Cicero scripsit ad Atticum. Sic e-
nim legitur in epistola decima nona li-
bri duodecimi epistolarum ad ipsū Att.
Velim me facias certiozem proximis
litteris, Cn. Cœpio Seruiliæ Claudij Pa-
ter, viuo ne patre suo naufragio perie-
rit, an mortuo: item Rutilia viuo ne C.
Cotta filio suo mortua sit, an mortuo.
Pertinet

Consolatio.

Pertinet ad eum librum, quem de luctu minuendo scripsimus, & in epistola 22. Quæro de Regillo Lepidi filio rectè ne meminerim patre viuo mortuum. Cū igitur ipse Cicero de illis dubitaret, incertum est, quid de ipsis statuerit: vt putem ipsos omissos esse, cum à Di. Hieronymo non fuerint nominati. Ceterū vt mittamus has nostras de rebus coniecturas, si nihil aliud haberetur, quod de hoc libro suspicionem faceret, elocutio ipsa, nostra quidem sententia, satis indicaret, eum Ciceronis non esse, in quo quædam verba sunt minus Ciceroniana, quædā minus propriè dicta, quædam etiam fortasse minus latina. Cum autem duabus quasi notis veteres libri dignoscantur, ipsa rerum obseruatione, & elocutionis ratione, posteaquam res ipsas perpendimus, de elocutione aliquid conscribamus. Quod igitur attinet ad huius scriptoris verba, vt præteream illa, quæ Typographi negligentia tribui possunt, quemadmodum, vbi legitur, quod suprà quoq; notauimus Traheaspas pro Prexaspes: & tantumq; potest

M. Tullij Ciceronis

est impietatis odium, ut tyrannum ex-
tinctum, ac sæuissimè excruciatum, ne-
mo miserantur, pro miseretur: à verbo
miserari: & iuuarint pro iuuerint: & alia
huiusmodi, illud mihi nequaquam Ci-
ceronianum videtur: Nec vnquam vi-
uit animus, nisi Compage solutus cor-
poris Compagibus dixisset Cicero, ut
de senectute: Dum sumus in his inclusi
Compagibus corporis. Nec illud: Im-
merentes dixerit aliquis, pro non me-
rentes. Nec illud: Misere ipsis, & infeli-
citer, pro non feliciter. Nec illud: Vagi-
tus, lacrymæ, imbecillitas, & primus ille
nascentium infantium vagitus, pro actu
vagiendi, etiamsi sit Virgilianum. Nec
illud: Despondeat animum: etiamsi sit
Liuiianum. Nec illud: Quanto indecen-
tius est, & Ne quid impiū, aut indecens
audeant. Dixisset Cicero, Magis indeco-
rum, & Indecorum. Nec illud: Osor, de-
tractor: pro eo, qui odit, & qui detra-
hit. Nec illud: captiuitati, inopiæ, luctui,
& penè captiuitatē, & quidem miserrimam
censuerim pro captiuorum con-
ditione. Nec illud: Latabundas funus
ducere,

Consolatio.

ducere, pro ijs, quæ abundè lætarentur,
Nec illud: Numerare Lacedæmones,
pro Numerare Lacedæmonios. Nec il-
lud: Incredibilis est eorum absurditas,
vt nulla esse possit aut pertinacia, aut
imperitia tanta, quæ non ista asperne-
tur, atq; refugiat. Dicere enim absurdi-
tatem, & imperitiam eum, qui Cicero-
nianè se loqui profiteatur, mira stultiti-
a, atq; inscientia est. Nec alia vocabula
multa, quæ recensere omnia iam piget.
Nec illa verborum coniunctio, qua
post dictionē, cum, ponitur dictio, quæ
à litera N. incipiat: De qua sic Cicero in
Oratore ad Brutum: Quid illud, non o-
let, vnde sit, quod dicitur, cum illis, cum
autem nobis non dicitur, sed nobiscum?
quia si ita diceretur, obscæniùs concur-
rerent literæ, vt etiam modo, nisi autē
interposuissem, concurrissent. Ex eo est
mecum, & tecum, non cum me, & cum
te, vt esset simile illis, vobiscum, atq; no-
biscum. Quod respiciens idem Cicero
libro nono familiarium ad Papyrium
Pætum ita scribit: Quid? quòd vulgo di-
citur, cum nocte volumus conuenire,

H s

non

M. Tullij Ciceronis

non obscœnum est? Memini in Senatu disertum Consularem ita eloqui. Hanc culpam maiorem, an illam dicam? potuit obscœnius? Non, inquis: non enim ita sensit: & paullo post sic: Socratem fidebus docuit nobilissimus fideicē. Is Conus vocatus est: num id obscœnum putas? Seruius quoq; in librum primum Aeneidos notavit Cacophoniam in illis verbis: Numerū cum nauibus æquat. Ut igitur vitaretur vocis turpitudine, quæ huiusmodi coniunctione repræsentatur propter turpissimam fœminarum partem ut cum præfatione honoris loquar, Cunnum appellatam, Cicero raro admodum in eam coniunctionem incurrit, & id vitium, maximè vitauit in operibus illis quæ scripsit circiter ea tempora, cum tale tradidit præceptum, ut in Consolatione, in Tusculanis, in libro de senectute, in libro de amicitia, & alijs similiter. Itaq; in ipso libro de amicitia Ciceronianus Lælius cum probaret à natura oriri amicitiam, fugit earum litterarum cōcursum in hunc modum; Si aliquem nacti simus, cuius cum
mori.

Consolatio.

moribus, & natura congruamus: inter-
posuit enim illas duas voces, Morib. Et,
quæ poterant omitti, nisi ille turpis
concurfus vitandus fuisset. Et inferius
sic: Tarquiniū dixisse ferunt tum cum
exul esset, se intellexisse, quos fidos ami-
cos habuisset, quosq; infidos, cum iam
neutris gratiam referre posset: interie-
cit dictionem Iam. Idem fecit alijs in
locis, quæ studiosus lector poterit obser-
uare. Auctor tamen huius Consolatio-
nis ostendit se huiusmodi præceptum
ignorasse, cum sæpè in hoc vitium in-
currerit, & nouies cum dictione, Cum,
dictionē à littera N. incipientem con-
iunxerit, vt ad eam turpissimam partē,
quam tam sæpè elocutione sua repræ-
sentauit, maximè aptus, & natus esse vi-
deretur. Scripsit enim: Vel cum nullo,
vel certo cum modico dolore: &, Ma-
gnaq; potius cum nominis sui gloria: &,
Cum nostro vulnere medeamur: &, Cū
nullo, vel certè minimo doloris sensu:
&, Cum neminem ipsa morte magno-
perè commoueri debere probatum sit:
&, Cum nec ipsi quidquā acciderit ma-
li: &

M. Tullij Ciceronis

li:& Quæ tantoperè cum natura cōgru-
at: & cum nihil, nisi rectū, honestumq;
cogitaret, & cum nihil, nisi quod rectū,
& æquum est, laudabile arbitramur.
Quæ igitur minimè Ciceroniana vi-
dentur ex eo, quòd alijs in locis Cicero
illis vsus non sit, illorum si vnum, aut
alterum tantum in hoc libro reperie-
tur, dici fortasse posset non esse absur-
dum, vt aliquam vocē in vno tantum
libro, & non in alijs ipse vsurpauerit, sed
cum tam multa in tantullo libello re-
periantur, nescio, quis sanæ mentis eum
esse Ciceronis possit existimare: quasi
nunquam Cicero occasionem habue-
rit vtendi huiusmodi vocibus, nisi in
hac Consolatione, vel sibi existimaue-
rit, licere magis in hoc opusculo, quàm
in alijs adhibere verborum sordes, & vt
vocabulo vtar imitatoris, loquendi ab-
surditates. Illud verò mihi videtur mi-
nus propriè dictum: Ad futuram vitam,
tamquam ad patriam euolare. Nam si
dixisset in cœlum, tamquam in patri-
am, magis ferendū esset. Accedit, quod
tametsi Cicero libro sexto de Rep. scri-
bit,

Consolatio.

bit, animis benè de Rep. meritis certum esse in cœlo, ac definitum locum, vbi beati æuo sempiterno perfruantur, & ciuitatum rectores, & conseruatores ex cœlo profectos in cœlum reuersuros: & in prima Tusculana, posse animos, cum è corporibus excesserint, in cœlū quasi in domicilium suum peruenire: & alibi similiter: tamen hæc cœlestis patriæ appellatio, qua significatur homines in hac vita peregrinari, est magis propria Christianorum Theologorum, quàm Ciceronis, qui nunquam eam vitā, quæ post mortem habetur, appellauit patriam: quemadmodū loqui de die, ac termino omnibus hominibus constituto, & dicere præfinitum esse vitæ terminum à Deo, quem præterire, aut ex quo egredi nemini liceat, iuxta illud quod legitur apud Prophetam Iob, Deum constituisse terminos homini, qui præteriri non possunt, ac affirmare vitæ terminum voluntarium, & in hominis arbitrio positum esse, scilicet vt breuior reddatur: magis Christianis, quàm Ciceroni conuenire, cum de hac Consolatione

M. Tullij Ciceronis

latione mecum colloqueretur, obser-
uauit magnificus, & generosus Iuuenis,
Ioannes à Bronchorst: & Bateburch,
Liber Baro in Rymberg, & Gronsfelt,
Dominus in Alpen, non solùm nobili-
tate, & generis claritate, sed etiam sum-
mi ingenij laude, ac flagranti optima-
rum artium studio, in quo facit me qui-
dem teste admirabilem cursum, ac pro-
gressionem ad excellentiam, ornatissi-
mus, qui cum præstantis suæ ergà me
voluntatis egregia, & minimè dubia
dederit argumenta, ita à me amatur, &
obseruatur inter nobilissimos audito-
res meos, vt omnia me eius amplitudi-
ni officia debere profitear. Illud præte-
rea est maximè improprium, & improp-
riè dictum: Non enim is ego sum, qui
animum simul cum homine interire
putè, pro eo, simul cum corpore. Quod
nunquam dixisset Cicero, qui secutus
Platonis sententiam putauit hominem
esse animum, vt interire animum cum
homine sit interire animum cum ani-
mo, quo quid absurdius? Sic enim ex
Platonis doctrina in Alcibiade primo
libro

Consolatio.

libro sexto de Rep. scripsit: Sic habeto
te non esse mortalem, sed corpus hoc.
Nec enim is es, quem forma ista decla-
rat: sed mens cuiusq; is est quisq; non ea
figura, quæ digito demonstrari potest:
& in prima Tusculana: Est illud quidem
vel maximum, animo ipso animū vi-
dere: & nimirum hanc habet vim præ-
ceptum Apollinis, quo monet, vt se
quisq; noscat: non enim credo, id præ-
cipit, vt membra nostra, aut structuram
figuramve noscamus: neq; nos corpo-
ra sumus: neq; ego tibi dicens hoc, cor-
pori tuo dico. Cum igitur, Nosce te, di-
cit, hoc dicit, Nosce animū tuum: nam
corpus quidem quasi vas est, aut aliquod
animi receptaculū: ab animo tuo quid-
quid agitur, id agitur à te. Quædam au-
tem dubito, an sint satis congruenter
dicta, vt præter illa, quæ superius notata
sunt: Filio suo pro Filio eius: & nemini
non poenitendum Reip. statum, etiam
illud: Is se hominem esse meminerit:
nihil autem humanius esse morte: vt si
non ab ipso diuelli, atq; auferri posset,
Dijs propior habendus esset, quàm ho-
minibus

M. Tullij Ciceronis

minibus nec omni ex parte hominis
nomen ipsi congrueret, quia commu-
ni, & præcipua hominis conditione nõ
vteretur. Ego dicerem: Auferri possit,
habendus sit, congruat, vtatur: Vel, ni-
hil humanius esse morte, quæ si ab ipso
diuelli, atq; auferri posset, & reliqua:
quemadmodum dicitur infrà: Lacry-
mis nihil profici, quæ si quid adiuventi
auferre possent, & quæ sequuntur. Ta-
met si enim illud cõgruit: Homo curare
deberet, vt Dijs propior haberetur: non
video tamen, quomodo illud possit cõ-
gruere: Ipse hominem meminerit, vt, si
mors ab eo abesset, Dijs propior habe-
retur, vel habendus esset. Quod Latini-
tatis studiosis iudicandum relinquo:
quemadmodum etenim illud: De quo
est apud Herodotũ illum Xersi respon-
disse: pro, Quem est apud Herodotum
Xersi respondisse: & illud: De quo tradi-
tum est nihil eum putauisse: pro, Quem
traditum est nihil putauisse. Et illud: La-
cenas matronas traditũ est consueuisse
ac solitas esse, contra vero curabant, nec
statuebant, pro curasse, nec statuuisse: &
illud,

Consolatio.

illud, quod iurarem non esse Latinum:
Erepti, vel amici, vel affinis, vel filij cogitatio adeò nobis grata est, quod illum penè ante oculos constituere videatur: pro, Adeò grata est, vt illum, & quæ sequuntur. Nunquam enim nec Cicero, nec alij Latini huiusmodi elocutione vsi sunt, quæ ab ijs tantùm, qui barbarè loquuntur, vsurpatur, & indigna est, quæ tanto scriptori tribuatur.

Hæc ego habui, quæ de Consolatione nuper edita raptim scriberem. Tu, cuius momenti sint, pro tua sapientia iudicabis, meq; vt soles, amabis. Patauij Quarto Cal. Mai. M. D. LXXIII.

FRAGMENTA CICERONIS ex Consolatione.

CRantorem sequor.

Luendorum scelerum causa homines nascuntur.

Non nasci longè optimum, nec in hos Scopulos incidere vitæ. Proximum autem si natus sis, quamprimùm mori,

I

& tan-

M. Tullij Ciceronis
& tanquam ex incendio effugere violentiam fortunæ.

Sed nescio, qui nos teneat error, aut miserabilis ignoratio veri.

Animorum nulla in terris origo inueniri potest. Nihil enim est animis mixtum, atq; concretum, aut quod ex terra natum, atq; fictum esse videatur: nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum: his enim in naturis nihil inest, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat, quod & præterita teneat, & futura prævideat, & completi possit præsentia, quæ sola diuina sunt, nec inuenietur vnquam, vnde ad hominem venire possint, nisi à Deo: singularis est igitur quædam natura, atq; vis animi sciuncta ab his vsitatis, notisq; naturis. Ita quicquid est illud, quod sapit, quod vult, quod viget, cœleste, & diuinum est, ob eamq; rem æternum sit, necesse est: nec verò Deus ipse, qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam, & libera, segregata ab omni concretionemortali, omnia sentiens, & mouens, ipsaq;

Consolatio.

saq; praedita motu sempiterno.

Nec enim omnibus iidem illi sapientes arbitrati sunt, inde cursum in caelum patere, nam vitijs, & sceleribus contaminatos deprimi in tenebras, atq; in caeno iacere docuerunt. Castos autem, puros, integros, incorruptos, bonis etiam studijs, atq; artibus expolitos leni quodam ac facili lapsu ad Deos, id est, ad naturam sui similem peruolare.

Cum verò matres, & feminas complures ex hominibus in Deorum numero esse videamus, & in eorum vrbus, atq; agris angustissima templa veneremur, assentiam eorum sapientiae, quorum ingenijs, & inuentis, omnem vitam legibus, & institutis excultam, constitutamq; habemus. Quod si vllum vnquam animal consecrandum fuit, illud profectò fuit: Si Cadmi, aut Amphitrionis progenies, aut Tindari in caelum tollenda fama fuit, huic idem honos certè dicandus est, quod quidem faciam, teq; omnium optimã, doctissimamq; approbantibus Dijs immortalibus ipsis in eorum coetu locatam ad
opinio.

M. Tullij Ciceronis
opinionem omnium mortalium con-
secrabo.

Cedo, en manum tollo.

ARGVMENTVM LIBRI CI-
CERONIS DE CONSOLATIONE
ex Carolo Sigonio.

PRimum miseras hominum vide-
tur deplorasse, qui quasi luendorum
scelerum causa in hanc vitam pro-
dierint: Sed tamen leuissimè omnia es-
se ferenda adiecisse, cum his nos cala-
mitatibus vno mortis subsidio facile
perfungamur. Deinde casum suum a-
cerbissimum multorum clarissimorū
virorum, quos collegerit, exemplo mi-
tigasse. Tūm verò de æternitate ani-
morū, & de filia inter Deos ad immor-
talitatis famam consecranda, quomo-
do multi homines sunt consecrati, dis-
putasse.

VARIAE LECTIONES EX
Andrea Patritio.

Cum

Consolatio.

Cum apud Lactantium libri tertij capite decimo octavo secundi fragmenti sententia bis recitetur, posteriorem locum in conformando ipso fragmento Sigonius, priorem Patritius secutus est in hunc modum: Idcirco nati sumus, vt scelerum penas lueremus.

In tertio fragmento legitur: Quamprimùm tamquam ex incendio effugere fortunæ. Quamprimùm mori, tamquam ex incendio effugere violentiam fortunæ. Quamprimùm mori, & tamquam ex incendio effugere violentiam fortunæ. Quamprimùm mori, & tamquam ex incendio effugere fortunæ: prima lectio est vetustorum librorum: altera recentiorum: tertia Sigonij: quarta Patritij.

In quinto Cicero, & Lactantius variant. Ex terra natum, atq; fictum: Ex terra natum atq; factum. Nihil ne aut humidum quidem, aut flabile: Nihilq; humidum aut flabile. His enim in naturis nihil est: His enim innatum nihil inest. Quod etiam plura: Quo & plura.

I 3

Nec

M. Tullij Ciceronis Consolatio.

Nec inuenitur vnquam: Nec enim inueniuntur vnquam. Omnia sentiens, & mouens: Omnia sentiens, & omnia mouens

In sexto, Inde cursum: Eundem cursum. Castos autem, puros: Castos autem animos, puros.

In septimo, Et in eorum vrbibus: Et eorum in vrbibus Assentiam: Assentiamur. Amphitrionis: Amphionis.

In octauo, En manum tollo: Et manum tollo.

FINIS.

Cum licentia Superiorum.




ERPHORDIAE

*Esaias Mechler excudebat, ad deauratam Crucem
ante pontem Mercatorum.*

Anno M. D. LXXXIII.

l.
s,
a
n
l.
s:
l.





755019

X2204462

VD 17

R

... me son ...

... in ...

... in ...

Item ...

... in ...

... in ...

... in ...

... in ...

... in ...





M. TVLLII
CICERONIS
CONSOLATIO.



*Liber, quo seipsum de Filia morte
consolatus est.*

Nunc primùm repertus, & in
lucem editus.



ANNO DOMINI

CIC. IO. XXCV.

